Köhler, Oskar
De Hautontimorumeni
Terentianae compositione

DE HAUTONTIMORUMENI TERENTIANAE COMPOSITIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

Oskar Köhler
(OSCARUS KOEHLER)
WEISZENBORNENSIS

R B L

LIPSIAE
DR. SEELE & CO.
MCMVIII

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

R. HEINZE **BETHE**

PROCANCELLARIO

STIEDA

LIPSIAE D. II. M. FEBRUARII A. MCMVIII.

RICARDO HEINZE

Hautontimorumenos Terentiana ex eis est fabulis antiquis, de quarum compositione viri docti, quamquam saepissime huic ipsi comoediae operam dederunt, maxime et dissenserunt et nunc etiam dissentiunt. Alii enim censuerunt eam ex exemplari Graeco mere esse translatam[1]), alii a Terentio eam esse concisam graviterque mutatam[2]), alii contaminatam[3]), alii ab ipso Terentio adauctam atque suppletam[4]). Neque vero alter alteri persuadere potuit suam sententiam esse accipiendam, quam ob rem mirum non videtur, quod in eis quoque libris de litterarum historia conscriptis, qui omnium sunt in manibus, iudicia inter se prorsus repugnantia inveniuntur. Velut Bergkius (Hist. litt. Graec. IV [1887] p. 195) haec scripsit: „Im Selbstquäler hält das künstlerisch verschlungene Spiel der Intrige der feinen Charakterschilderung das Gleichgewicht", Teuffelius (Hist. litt. Rom. I^5 [1890] p. 183) hanc fabulam appellat, ut ipsius verbis utamur, „Ein Intrigenstück mit etwas abenteuerlicher Handlung, magerer Charakteristik und trockenem Tone", Ribbeckius (Hist. poes. Rom. I^2 [1894] p. 137) ita iudicavit: „Um so kunstvoller und scharfsinniger (scil. quam Hecyrae)

---

[1]) Kampe, Die Lustspiele des Ter. u. ihre griech. Originale, Progr. Halberstadt 1884, pp. 15—19. Legrand, La date et la compos. de l'Haut. de Mén. in Rev. Et. Gr. XVI (1903) pp. 349—358. Siess, Über die Charakterzeichnung in den Kom. d. Ter. in Stud. Vindob. XXVIII (1906) pp. 241—262.

[2]) Nencini, De Terentio eiusque fontibus, Liburni 1891 pp. 64—76.

[3]) Roetter, De Haut. Terentiana, Progr. Bayreuth 1891/2. Herrmanowski, Quaest. Ter. selectae, Diss. Hal. Sax. 1892, pp. 22—29. Skutsch, Der Prolog zum Haut. d. Ter. in Philol. LIX (1900) pp. 1—8.

[4]) Venediger, Zum Haut. d. Ter. in Annal. Fleckeis. XX (1874) pp. 129—136.

durchdacht ist die Fabel des Hautontimorumenos", Schanzius (Hist. litt. Rom. I[3] [1907] p. 147) dicit: „Das Stück ist sehr mittelmäßig, die Intrige ist schwach." Itaque cum appareat, quot viri docti de Hautontimorumeno egerint, tot fere sententias exstare a se diversas, hanc ipsam fabulam esse dignissimam, in cuius structuram et consilium denuo inquiratur, nemo non concedet.

Quae compositionis quaestio ad certum finem perduci non potest nisi accuratissima fabulae Terentianae interpretatione, cum neque Donati commentum ad hanc ipsam comoediam exstet neque de Terenti prologo explicando viri docti consentiant neque fragmenta fabulae Graecae inveniantur satis aut magna aut gravia, quamquam ne prologum et fragmenta quidem neglegenda, sed magis quam adhuc factum est, ex toto fabulae nexu interpretanda censemus. Quae cum ita sint, e re est primum quidem fabulae argumentum quam diligentissime exponere, ita ut eos locos, qui viros doctos offenderunt, maxime respiciamus. Itaque iam ad fabulam ipsam accedamus.

Pars I.

Argumenti interpretatio.

Actus I.

Sc. I (54—174). Halis Aexonidibus inter promunturia Coliada et Zostera sitis[1]) Dionysia agrestia aguntur. Diu

---

[1]) Menander enim in fragmento illo a Reitzensteinio (Ined. poet. Graec. frgta. in Ind. lect. Rostoch. 1890/1 p. 8) edito (cf. Kretschmar, De Men. reliquiis nuper repertis, Diss. Lips. 1906 p. 57, qui hoc fragmentum exhibet cum fr. 140 K (C. A. F. III p. 41) recte coniunctum) certiores nos facit non alicubi ruri hanc fabulam esse ponendam, sed Halis Aexonidibus septem fere milia passuum ab Athenis sitis, quo Athenienses ipsos Bacchi ferias agrestes actum crebros venisse ex ipsa fabula Terentiana concludi potest. Nam Bacchis illa tam magnifica (227) Syri promissis (362 sqq., 723 sqq.) tam facile adduci vix posset, ut eum Chre-

enim vindemia est finita iamque sementis autumnalis facta, itaque nescio quibus mensis Posideonis diebus[1]) agricolae vinitoresque a Baccho et Phalete fecunditatem implorant. Neque vero sacris solis[2]) hos deos celebrant, sed Bacchi munere ipso libenter fruuntur laetitiaque exultantes iocis ludisque se dedunt. Patres autem familias cenam opipare apparant (162 et 169), a qua ne invocati quidem convivae, si qui adveniunt, secluduntur[3]). Quam ad cenam ut eat (169 sq.), hac fabula ineunte agricolam quendam, cui Chremeti nomen esse comperimus (75), domum redeuntem videmus. Quantopere autem obstupescit, cum Menedemum vicinum hoc festo die in agro laborantem conspicit. Quem quidem hominem esse satis singularem dudum cognitum habet, cum eum quamvis divitiis

metis domum sequeretur, nisi morem illarum feriarum agendarum ipsa novisset, quod ita esse vel inde apparet, quod Militem illum (733) ipsum quoque Halas abisse non ignorat. Quam ob rem Kretschmaro l. s. p. 58 assentiri non possum, qui, cum Wilamowitzi (Der Landmann des Menandros in Annal. philol. nov. III (1899) p. 526 et Legrandi l. s. p. 355 sententiam impugnat, Menandrum Halas Araphenidas, quae sedecim fere milia passuum afuerunt ab urbe, in animo habuisse censet. Qua de re velim nunc conferas Wilamowitz, Der Menander von Kairo in Annal. philol. nov. XXI (1908) p. 49 an. 2.

Quodsi huius fragmenti versus cum Terentianis comparamus, statim apparet Terentium verborum Graecorum sensum omnino apte expressisse, quamquam pro spectatorum Romanorum ingenio non solum scaenae loci nomen omisit, sed etiam res ad Menedemi fundum accuratius demonstrandum pertinentes (4 sqq. *Καὶ τῶν Ἁλῇσι χωρίων | κεκτημένος κάλλιστον εἶ. νὴ τὸν Δία, | ἐν τοῖς τρισίν γε καὶ τὸ μακαριώτατον | ἄστικτον*) verbis colore singulari prorsus carentibus rettulit (63 sq. In his regionibus | meliorem agrum neque preti maioris nemo habet).

1) Has Bacchi ferias sicut reliquas compluribus diebus Graecos agere solitos esse huius ipsius fabulae negotio in duos dies distributo, quorum uterque est festus (162 et 733), confirmatur.

2) De sacris et pompa, quae quidem Aristophanes Ach. 241 sqq. commemorat, hac in fabula nil omnino comperimus.

3) Neque enim Menander, cum Clitipho patre inscio et Cliniam domum inducat et eius amicam arcessat, cuius nomine Bacchis meretrix ad cenam ducitur, aliter videtur sensisse atque Plato Conv. 174, quo loco Socrates cum Aristodemo invocato in Agathonis convivium venit.

abundantem cotidie a mane ad vesperum aut „fodientem aut arantem aut aliquid ferentem (69)“ viderit, proinde ac si servis omnino careret[1]). Sed tamen eo, quamquam quartum iam mensem vicinus est (118), ut hominum consuetudinem fugiente familiariter nondum usus est. Hoc vero die facere non potest, quin ex eo quaerat, qua de causa se tantopere exerceat. Ille autem, quamquam primum quidem Chremetis verba benevolentiae plena dure repudiat, tamen vera eius misericordia mox adeo commovetur, ut multis cum lacrimis (84) ea narrare incipiat, quae adhuc cum nullo mortali communicavit. Dicit enim filium suum, qui puellam pauperem Corinthiam perdite amaverit, opprobriis suis victum patriam fugisse[2]), cuius duritiae sese tantopere paeniteat, ut agro colendo[3]) iam

[1]) Scriptura tradita (64 sq. „Meliorem agrum neque preti maioris nemo habet:“ Servos complures“ (sc. habes, cf. Wagner, Haut. edit. Berol. 1872 ad h. v. „Die Ergänzung ist etwas hart, doch nicht zu hart für die Umgangssprache“), quam Bentleius mutavit in „Servos non plures“. Leo, Quaest. Plaut. p. 89 an. in „Nec servos plures“, propter haec Menedemi ipsius verba servanda est (142 sqq.): „Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico | faciundo facile sumptum exercirent suom, | omnes produxi ac vendidi.“

Ceterum hoc loco fragmentum secundum (141 K) „*Λουτρόν, θεραπαίνας, ἀργυρώματα*“ est afferendum, quae verba a nullo non referuntur ad haec Terentiana (130 sq.): „Ancillae tot me vestiant? Sumptus domi | tantos ego solus faciam?“ Itaque ut primo fragmento modo tractato ita hoc Terentium colloquium illud Chremetis cum Menedemo habitum in universum quidem mere transtulisse confirmatur.

[2]) Duae sunt causae, cur Menedemus filium amantem tam vehementer increpuerit. Primum enim timuit, ne filius amicae tam pauperis consuetudine usus rem suam familiarem consumeret (cf. Dziatzko, Der Inhalt des Georgos von Menander in Mus. Rhen. LIV (1899) p. 504), tum, ne filius, qui peregrinam illam adulescentulam haberet „prope iam in uxoris loco (104)“, i. e. iam tunc prope concubinatu cum ea esset coniunctus (cf. Diatzko, l. s. p. 513 an. 3), haud facile posset adduci, ut amica abdicata virginem Atheniensem i. e. divitem in matrimonium duceret.

[3]) Wilamowitzius, Der Landmann des Menandros l. s. p. 521 iure monet, quam aegre homo vere Atheniensis rastros sumpserit (cf. Haut. 931 „Mi illaec vero ad rastros res redit“ et Georg. 80 sqq. (Kretschmar

se ipse puniat „parcens, quaerens, filio serviens (139)" [1]). His verbis auditis Chremes etsi facere non potest, quin vicino crimini det, quod filium male tractando ipse miserias illas sibi paraverit (151 sqq.), tamen misericordia commotus statim eum non solum filium brevissimo tempore recuperaturum esse [2]) dicit, sed etiam

l. s. p. 12), ubi Daus servus pauperes se abdere dicit debere vel rus vel in solitudinem). Quacum re optime congruit, quod a Menandro illo vere Atheniensi saepe agricolae illuduntur, nusquam scurrae, quos Philemo solet perstringere Athenis non natus (cf. Dietze, De Philemone comico, Diss. Gotting. 1901 p. 53). Itaque nemo non cognoscit, quanto maior spectatoribus Atheniensibus Menedemi poena visa sit quam Romanis, qui ne sentiebant quidem, quam egregie poeta Graecus ipso nomine Menedemi sui puniendi studium expressisset, quippe quem eum esse significaverit, qui ruris sit cupidus ($\sqrt{}$ men- = sich in den Sinn bringen, cf. μένος Verlangen, Meyer, Handb d. griech. Etymol. IV. p. 368; voci autem δῆμος, qua usu solemni senum comicorum morositas significetur, ruris notionem inesse Suess, De personarum antiquae comoediae Atticae usu atque origine, Diss. Gissae 1905 p. 102 sq. demonstrat).

[1]) Menedemum minime avari senis speciem fugere apparet. Itaque Herrmanowski l. s. p. 24 sententia est repudianda, qui reprehendit, quod neque Clitipho neque Syrus verum senis animum perspexerit. Clitipho enim, qui quam dure homo ille avarus amicum tractaverit, non ignorat, filio pulso eius avaritiam etiam adauctam esse iure censet, cum eum cotidie in agro laborare sciat. Ac ne Syrus quidem ab aliquo servo certior fieri potuit eum solum propter filii desiderium tantopere se exercere, cum ille, qua de causa rus abisset, nullo cum homine communicaverit. Rectissime igitur se habent non solum Clitiphonis verba 197 sq. „Immo ille fuit senex importunus semper et nunc nil magis | vereor quam ne quid in illum iratus plus satis faxit", sed etiam Syri 402 „Immo ut patrem tuom vidi esse habitum, diu etiam duras dabit" et 526 „Sed habet patrem quendam avidum misere atque aridum."

[2]) Quam male Herrmanowskius l. s. p. 24 Chremetis verborum 159 sq. „Et illum tibi | salvum adfuturum esse hic confido propediem" sensum presserit, ex quibus, ut ipsius verbis utamur, „Chremetem cum vicino colloquentem iam edoctum fuisse Cliniam redisse aut brevi rediturum esse" colligendum sit, vix verbo demonstrare opus est. Nam ut omittamus Chremetem de Clinia reduce certiorem hunc nuntium statim cum Menedemo communicaturum fuisse (cf. 185 sqq.), eius verba cum natura humana optime consentiunt, cum nimii consolandi studii plenus id brevissimo tempore fore dicat, quod ipse an unquam evasurum sit, nescit Vicinum autem, quippe a quo filium non recte tractatum esse dixerit

invitat, ut secum ad cenam festivam eat Sed Menedemus, qui filio absente ulli voluptati se dedere sibi licere negat (147 sqq.), tristissimus abit. Chremeti autem id in mentem redit, quod ut exsequeretur, antea domum revertebatur. Phaniam enim vicinum secum ad cenam ducere volebat[1]). Sed cum rem imprudenter neglectam perficere studeat, vicinum illum iam apud se esse comperit. Itaque dum iure quasi se ipse re-

---

iam quavis ratione reconciliandum ei videri vel inde cognoscas, quod, quamquam multa iam verba cum eo fecit, hoc loco primum eum nomine ipso alloquitur. Immo poeta data opera hoc Chremetis animi affectu utitur, ut spectatores Cliniam mox adfuturum esse suspicantes faciat i. e. praeparationis artificio utitur, quam rhetores appellant, quod artificium quam scite cum moribus demonstrandis coniunxerit, nemo non videt. (Cf. Geffcken, Studien zu Menander, Progr. Hamburg 1898 p. 6 an. 4, qui complura huius artificii a Menandro saepissime adhibiti exempla affert).

[1]) Hoc loco Nencinius l. s. p. 70 fabulam Menandream esse resectam certissimum fieri censet, cum Terentius eas archetypi res retinuerit, quae hac cum fabula non iam conveniant. Neque enim ullo ex fabulae loco apparere, qua de causa Chremes Phaniam ad cenam vocaturus fingatur, quod sane apud Menandrum aliquid ad argumentum absolvendum valuerit. Sed primum his Chremetis verbis poeta spectatores apte sentientes facit in fabula ipsa cenam fore hoc festo die dignissimam, quod quanti momenti sit ad totum argumentum recte perspiciendum mox apparebit, deinde his ipsis verbis cum eis communicat hanc fabulam non ut plerasque aut ante solem orientem aut mane incipi, sed sub vesperum, denique, quod plurimum valet, statim ab initio fabulae eos Chremetis mores prorsus perspectos habere vult, qui dum aliena curat, suorum officiorum obliviscitur. Itaque nemo sane cum Nencinio exspectabit, ut alio fabulae loco plura de illo Chremetis vicino proferantur. Quid? quod Legrandius l. s. p. 353, qui ipse quoque versibus 171 2 tota in fabula nil respondere dicit, ipsa verba „Egomet convivas moror. Ibo adeo hinc intro“ discrepare censet cum versu 211 „Ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid cenae siet?“ Neque maioris momenti est, quod idem scaenam inter versus 170 et 171 vacuam relinqui vitiosum esse dicit. Nam Chremetem e spectatorum conspectu decedere putemus ne necesse est quidem, immo praeter Chremetis et Menedemi etiam Phaniae domum in scaena esse visam, cuius foribus pulsatis senex ille aliena percontandi cupidus certior fieri possit se serius vicinum vocatum venire, ex hoc ipso loco apparet. Cf. Leo, Der neue Menander in Herma vol. XLIII (1908) p. 165.

prehendit, quod Menedemi dolorem curans suos convivas moratus sit (172), iam quam celerrime abiturus est.

Sc. II (175—212). Sed eodem temporis momento Clitipho filius exit, qui ei nuntiet Cliniam, vicini filium, quocum artissima amicitia coniunctus sit[1]), ex Asia reducem apud se devertisse[2]), cum nunc etiam patris iram valde timeat; ad amicam servos esse missos. Quibus rebus compertis Chremes vix facere potest, quin statim hunc nuntium tam exoptatum cum misero illo

---

[1]) Et Roetterum l. s. p. 7 et Herrmanowskium l. s. p. 23 et Legrandium l. s. p. 352 id offendit, quod Clitipho patrem tamquam alienum de artissima illa amicitia, qua inde a pueritia cum Clinia coniunctus sit, certiorem faciat, cum praesertim horum „amicorum atque aequalium" (417) patres prorsus sibi ignotos esse veri sit dissimillimum. Qua de discrepantia quae videtur, Siessius l. s. p. 253 an. 1. rectissime iudicat hisce: „Bei dem geringen Vertrauen, das in beiden Häusern zwischen Vater und Sohn herrscht, ist es nicht zu verwundern, dass keiner der beiden Väter sich um die Schulfreundschaften des Sohnes gekümmert hat. — Jetzt freilich, da der Freund unter seinem Dache weilt und seiner Hilfe unmittelbar bedarf, muss Clitipho den Vater notgedrungen in die Sache einweihen". Huc accedit, quod e Bacchidis illo amore Clitiphonem in urbe solere vitam degere concludendum videtur. Itaque si ex quo tempore senes vicini sunt facti, patris villam Halis sitam non visit nisi his festis diebus, perfacile est intellectu, quod ne per tres illos menses quidem (118) cum eo de novo vicino sibi notissimo verba fecit. cf. 180 sq. „Hunc Menedemum nostin nostrum vicinum? || Probe. || Huic filium scis esse? || Audivi esse: in Asia. || Non est, pater: | Apud nos est."

[2]) Legrandium l. s. p. 352 iniuria mirari, quod Clitipho sua sponte non modo amicum in aedes patrias recipit, sed etiam eius amicam illuc arcessit, ex eis, quae de cena Dionysiaca modo exposuimus (cf. p. 3), satis cognoscitur. Nam Clitipho minime ignorat patrem libenter recepturum esse utrumque, cum his verbis amicum consoletur 175 sq. „Haud quaquam etiam cessant, | et illam simul cum nuntio hic tibi adfuturam hodie scio." Neque vero Chremetem de Antiphilae adventu nimis obiter certiorem fieri cum Herrmanowskio l. s. p. 22 inde concludendum est, quod ille hoc loco nil comperit nisi servos ad eam esse missos (191), quae quidem verba omnino silentio praeterit. Fieri enim potest, ut virgo illa interea corrupta sit (189), itaque Clitipho cavet, ne eam adventuram esse ipsam iam nunc patri dicat. Illo vero silentio ea re satis probato, quod Chremes vicini misericordiae plenus nil scire cupit nisi quo animo sit Clinia modo redux, poeta scite assequitur, ne hoc iam loco de Antiphila verba facere cogatur, pro qua Bacchidem ad senis ipsius cenam ducturus est.

sene communicet, tamen subito ei in mentem venit adulescentem modo reducem in patris illo timore relinquere, id quod vicino usui fore putat (199). Itaque cum lascivia quadam coram filio amici patris fugiendi consilium reprehendit[1]) filiumque ipsum monet, ne simili amori indigno deditus similem suam duritiam patiatur. Nunc iam ad cenam laetissimus abit, cum ne suspicetur quidem, quantopere verba sua filii relicti animum pupugerint.

Sc. III (213—229)[2]). Qui adeo consilii est expers, ut patrum iniquitatem vehementer queratur, quippe qui filios a pueris senum more atque consuetudine vivere velint. Ipse enim clam patre amat, ac ne pecuniam quidem habet, qua amicae procacissimae avaritiam expleat. Itaque iam amicum ipsum quam se fortunatiorem censet, cui amica pudica atque modesta sit.

[1]) Quibus cum verbis Meinekius C. G. F. IV p. 112 iure contulit fragmentum hoc (145 K):

Οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον
Ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα

i. e. In patria manere oportet itaque liberum (scil. cum ei, qui peregre abierit, libertas usui non sit) aut potius mori eum, qui prospera fortuna utitur. Itaque quod Kockius verbis *καὶ μένειν* offenditur, quae, quod Chremeti dicere non liceat oportere et domi manere et manere liberum, cum Clinia domi servus esse nequeat, in *Παρμένων* commutanda esse arbitratur, iure mireris. Ac ne Cliniam quidem, quem Kockius apud Menandrum Parmenonis nomen habuisse putat, Chremes alloquitur, sed Clitiphonem. Huic igitur fragmento primum inest testimonium, quo ne apud Menandrum quidem Clitiphonem, cuius partes Roetterus poetae Latino contaminanti deberi censet, defuisse confirmatur, quamquam Terentius, ut solet in proverbiis Graecis Latine exprimendis, horum versuum sensum ad totius loci nexum adaequavit. Qua de re velim conf. Kampe l. s. p. 5 et Wilamowitz, Die griech. Lit. des Altertums p. 128 (Kultur der Gegenwart I, 8).

[2]) Hoc Clitiphonis soliloquium secundo actui in codicibus falso tribuitur. Menandrum autem post versum 229 scripsisse ΧΟΡΟΥ satis est veri simile. Itaque Clitipho, qui in fabula Terentiana in scaena remanet, apud Menandrum abisse putandus est, ita ut amicum imprudenter domo egressum 234 rursus in scaenam sequeretur.

Actus II.

Sc. I (230—241). Sed quasi demonstraturus se ipsum esse hominem longe miserrimum, Clinia domo proruit[1] summa sollicitatione affectus, quod servi cum amica nondum redierunt.

Sc. II (342—380). Adsunt servi. Neque vero Antiphilam secum ducunt, immo Syrus, Clitiphonis servus, Cliniae Dromonem remittit, qui mulieribus illis satis impeditis obviam eat, quas in colloquendo reliquerint. Quin Dromone profecto ipse mulierum turbam maiorem esse secum reputat, quam ut facere possit, quin se senis ipsius miserere profiteatur, cui tota illa familia recipienda sit[2]. Adulescentes scilicet quid mira haec dicta sibi velint, non intellegunt, nisi forte Antiphila meretrix facta est, neque mirum est, quod Clinia, cui iam certissima esse haec res videtur, summo dolore afficitur. Quod Syrus cum senserit, statim cum eo communicat Antiphilam neque esse corruptam, neque, quod ipsa alteri mulieri in via narraverit, anum illam Corinthiam, quae mortem obierit (269 sqq.), genuinam eius matrem fuisse[3]. Cum vero Antiphilae vivendi

[1]) Satis scite poeta Cliniae animi affectu utitur, ut eum in scaenam ducat, in qua servis advenientibus versetur necesse est.

[2]) Et ex hoc et ex illo loco, quo Syrus se Bacchidem adducere dicit (311), Herrmanowskius l. s. p. 23 apparere censet, „reversum ex urbe Syrum ita se gerere, quasi res inter Chremetem et adulescentes plane convenisset“, quod verum esse nemo sane negat. Neque vero fabulae vitium, quod Herrmanowskius appellat, huic rei inest, immo ipsis Syri verbis summae audaciae plenis huius scaenae interpretationem imprimis esse fulciendam est manifestum.

[3]) Dixerit quis nil omnino ad argumentum absolvendum pertinere, quod Syrus anum illam Corinthiam matrem Antiphilae non fuisse nuntiet, immo haud scio an Syrum in exemplari Graeco Antiphilam Chremetis esse filiam iam scivisse putet, quod sane Roetterus l. s. p. 9 ex tóto Syri consilio nimis fere audaci conclusit. Sed hoc de loco ita iudicandum esse ut de verbo propediem interpretando (cf. supra p. 5 an. 2) certissimum est. His enim verbis ea re rectissime probatis, quod aptissima sunt ad Cliniam consolandum, quippe qui timuerit, ne per hanc ipsam matrem amica esset corrupta (233 sq. „Mater quoius sub imperiost mala, | quoi nil iam praeter pretium dulcest“). Syrus scitissime consilium suum praeparat. Nam fieri posse indicat, ut Antiphila civis

rationem copiose exposuerit[1]) mulieremque de amico reverso certiorem factam prae gaudio lacrimas tenere non potuisse adiecerit, Clinia tam vehementer gaudet, ut ubi sit nesciat (308).

At Clitiphoni nondum omnia explicata videntur. Immo quaenam altera sit mulier modo commemorata e servo quaerit. Quae ad verba audacissimus ille confidenter respondet, se

---

Atheniensis agnoscatur, quam in cena virorum interesse non liceat (cf. Cic. Verr. I, 22, 66 „Negavit moris esse Graecorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres"). Sane cum his servi verbis tum illis, quibus quomodo Antiphila illa pudica atque integra vitam soleat degere comperit (275 sqq.), Clinia tanto gaudio afficitur (308), ut tacite haec probet verba: „Quid faciet sua? | Immo ad tuam matrem abducetur (333 sqq.)". Quin cum amicus nimis incertus sit, quid faciat, eum ut ipse est fortunatissimus, libenter monet, ut Syri consilio astipuletur, quamquam se his verbis in eam necessitatem adduci non ignorat, ut Bacchidem suam esse amicam simulet (359 sq. „In eum iam res rediit locum, | ut sit necessus"). Minime igitur res tam gravis ab eo postulatur, quam Herrmanowskius l. s. p. 25 arbitratur, quippe quem Antiphilae misereat, quod Cliniae amor tam celeriter refrigeratus sit. Tertius autem huis generis locus infra invenitur. Syrus enim dicit „Etiam haud scio anne uxorem ducat ac Syro nil gratiae (999)", quo ex versu primo quidem obtutu concludendum videtur Syrum Clitiphoni uxorem esse ducendam iam scire. Sed ne haec quidem verba aptissima interpretatione carere mox cognoscemus

[1]) Ad versum 285 „Texentem telam studiose ipsam offendimus" in codice Bembino haec verba ascripta leguntur:

Ἐξ ἱσταρίου δ' ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ (fr. 142 K),

ad versus 293 sq. „Praeterea una ancillula | erat; ea texebat una pannis obsita" inveniuntur haec

καὶ θεραπαινὶς ἦν μία,
Αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς διακειμένη (fr. 142 K).

Haec fragmenta, quae a Meinekio et Kockio in unum coniuncta Nencinius l. s. p. 72 suo iure rursus seiunxit, minime cum Wagnero l. s. et Nencinio quasi spuria esse abicienda et Schleeus in Nencini libelli censura (In libro hebdom. philol. class. X (1893) p. 603) et Leo, Quaest. Plaut. p. 130 an. 1 recte monet. Apparet autem non aliter apud Menandrum de Antiphila eiusque vivendi ratione narratum fuisse atque apud Terentium, quam ob rem non habemus, quod cum Venedigero et Roettero Syri partes ab exemplari Graeco alienas dicamus.

Bacchidem secum adducere (311), quasi procacissimam hanc adulescentis amicam ad ipsius patris cenam esse ducendam per se intellegatur [1]). Profert enim Clitiphonem diu a se postulasse, ut sibi argentum, quod amicae pollicitus esset, compararet (322 sqq.), nunc fieri posse, ut sine metu apud patrem cum ea sit, quippe quae Cliniae amicae nomine ad cenam possit duci: pecuniam autem se eadem via inventurum esse (329). Sed Clitiphoni quamquam haec res placet (333), tamen omnia nimis incerta atque periculosa videntur. Itaque prorsus de servi consilio certior vult fieri, cum eum interrogat, quorsum id spectet, quod Antiphilam, quae Cliniae amica iam dici non possit, ad matrem abducere velit (335) [2]). Syrus autem qui adulescentem hunc tam timidum animique pendentem (343 sqq.) argumentis et rationibus ut tantum periculum subeat, omnino adduci non posse non ignorat, iam, nedum consilium suum cum eo communicet, ut paedagogus, qui discipulum sibi resistere minime sinit, satis breviter respondet: „Longum est,

[1]) Legrandius l. s. p. 352 servum ullum sola adulescentis impudentia fretum eius meretricem ipsius patris domum ducere verisimile esse negat, atque Herrmanowskius l. s. p. 23 haec facit verba: „Miram quidem illam hospitalitatem, si permissu senis meretrix veniret, sed incredibilem profecto, si ut in nostra comoedia fit, senis venia neque petita neque data est.“ Sed neuter neque Syri mores petulantissimos neque cenam illam Dionysiacam respicit, ad quam agendam, cum Antiphila sene probante arcessatur, servus huius virginis nomine perfacile meretricem illam adducere potest. Itaque cum hoc servi consilium quamvis magnae insolentiae plenum satis declaratum sit, nemo non videt quam insulse Epidici Plautini poeta hanc rem a Menandro tam audacter inventam imitatus sit, cum servum filii meretricem pro ipsa filia senis domum inducentem fecerit. Quam ob rem libentisime Wilamowitzio (De trib. carm. Lat. in Jnd. lect. Gotting. 1893/4 p. 15) astipulamur, qui ita hac de fabula iudicat: „Certissimum autem Menandri morte recentiorem Epidicum — quam qui scripsit — ultra mediocritatem nulla in re se extollit.“

[2]) Quod Herrmanowskius l. s. p. 26 scribit „De abducendo vero ad matrem mira est obscuritas. Jure enim quaeritur cur, quorsus, quo nomine, quo titulo hoc fiat. De his omnibus per totam fabulam non edocemur“, haec verba pluribus reicere non iam opus est (cf. p. 9 an. 3).

Clitipho, si tibi narrem, quam ob rem id faciam: vera causast (335)"[1]. Quin vi quadam suam voluntatem sequi eum cogere non veretur, cum se Bacchidem in urbem esse remissurum simulat (338 sqq.)[2]). Sed Clitipho quamquam cupiditate amicae

---

[1]) Quibus rebus expositis nemo non intellegit, quam futtilia sint haec Roetteri verba: „At quam tandem causam veram illam dicamus fuisse? (l. s. p. 9) At si non habuit Syrus nec veram causam nec consilium satis firmum, fieri non potuit ut non haberet aut videretur sibi habere utrumque (l. s. p. 10)". Minime vero ex Syri verbis, quae cum moribus eius summae audaciae atque insolentiae plenis egregie consentiunt, eum omnino consilium nullum in promptu habere concludendum est. Nam his locutionibus, quae haud ita raro occurrunt, poetae aperte vitant, ne narrando res prodant eas, quas actione ipsa sub spectatorum oculos sunt subiecturi. Legimus velut Pseud. 387 sq. „Cedo mihi, quid es facturus? || Temperi ego faxo scies. | Nolo bis iterari, sat sic longae fiunt fabulae", Bacch. 749 sq. „Obsecro, quid istis ad istunc usust conscriptis modum? || Quia mi ita lubet", Mil. 809 sq. „Sed quid meminisse id refert, rogo ego te tamen? || Ego enim dicam tum, quando usus poscet", And 705 sq. „Quid facies? || Dies hic mi ut satis sit vereor | ad agendum, ne vocivom me nunc ad narrandum credas."

[2]) Magnae sane curae poetae est demonstrare, quomodo fiat, ut Clitipho, quamquam Syri consilium „fabulas" esse dicit, tamen commoveatur, ut Bacchide recepta patris iram subeat. Itaque nullius sunt momenti Herrmanowski l. s. p. 25 verba haec: „Ac contaminanti poetae dubito an hoc quoque vitium dandum sit, quod Syri consilium quamvis audax, obscurum, ratione prorsus egens ab utroque adulescente probatur." (cf. p. 9 an. 3). Rectius hunc totum locum Siessius l. s. p. 261 perspexit, cuius verba liceat afferre: „Während Davos in der Andria seinem jungen Herrn nur darum hilft, weil er dessen Lebensglück bedroht sieht, verführt Syrus seinen früheren Zögling selbst zu dem tollen Streich mit der Hetäre und weiss ihn, als er zögert, geschickt zu bewegen, dass er doch darauf eingeht". Memoratu autem dignissimum est, quod Syrus vetus ille Clitiphonis paedagogus coram Chremete semper ita se gerit, quasi optima filio praecepta det. Dicit enim: „Spero hercle ego quoque (scil. eum in ipsius patrem dolum non esse suscepturum) neque eo dico, quod quicquam illum senserim (553 sq.)". „Clitipho, haec ego praecipio tibi? Hominis frugi et temperantis functus es officium (579 sq.)?" „Atqui nunc, ere, tibi istic adservandus est. | Nam mihi iam minus minusque obtemperat (593 sq.)". Quodsi id respicimus, quod idem poeta Lydum paedagogum severissimum illum Bacchidum (cui fabulae constat Menandri Disexapatontem subesse, cf. Ritschl, Parerg. Plaut. p. 405) finxit, iam quanta petulantia Syri partes excogitaverit, apertissimum fit.

flagrat (340 sq.), tamen nunc etiam tam incertus est quid faciat, ut Clinia ipse eum moneat, ut „bono quod detur, fruatur, cum haud sciat an nunquam Bacchidis potiundae potestas redeat (343 sqq.)". His verbis auditis servum revocat, cui iam prorsus se tradit [1]). Sed sciendi est cupidissimus, quomodo factum sit, ut meretrix illa adeo magnifica tam facile eum sequeretur. Ille autem cum suo iure caveat, ne se decem minas ei promisisse prodat (723 sqq.), audacissime profert se opportuno tempore ad eam venisse, cum meretrix modo militem quendam repudiaverit [2]). Quin etiam adulescentem modo mendacio deceptum ne salutare quidem amicam sinit, quam recipere eum quamvis invitum modo coegit. Immo mulieribus advenientibus intro eum mittit timore perterritus, ne salutatione nimis familiari iam nunc tota fallacia in lucem proferatur.

Sc. III (381—409 [3]). Iam mulieres secum colloquentes

---

[1]) Locus simillimus est Most. 406 „In tuam custodelam meque et meas spes trado, Tranio".

[2]) Herrmanowskius l. s. p. 27 hos inter locos discrepantiam quandam statuit, cum dicit: „Duo illi loci adeo non congruunt, ut vix ad eandem meretricem spectare videantur." Sed hoc loco servus audacissimus facit verba, illo meretrix verius sane de eadem re dicit.

[3]) Totam hanc scaenam Herrmanowskius l. s. p. 26 ex alia fabula a Terentio additam esse censet, quod Anthiphilam in fabula Graeca minime liberam ut in hac comoedia, sed servam fuisse et ex proxima scaena appareat, in qua insciam atque invitam ad matrem familias eam velint abducere, et ex hac, in qua sola cum loquens inducatur, tum inter meretricis comites sit. Quarum causarum priorem iam silentio praeterire licet (cf. p. 9 an. 3); at quod Herrmanowskius Antiphilam agnitam in scaenam non prodire miratur, haec Donati verba afferre satis est in And. praef. facta (Wessner p. 37): „Adnotandum sane puellarum liberalium in proscaenio nullam orationem induci in comoedia", quae res non minus sane cum Atheniensium vita cotidiana congruit, quippe qui filias semper fere in aedibus retinuerint (Bekker-Goell, Charikles III p. 320 sq.), quam quod filii amantes cavent, ne cum patribus in gravius discidium veniant, quorum sumptibus constat eos vitam degisse (cf. p. 4 an. 2 et p. 12 an. 2). Quod vero ea re offenditur, quod virgo illa tam pudica meretricem sequitur, ad egregia haec Schleei (Jahresber. über Terenz in

in scaenam intrant. Bacchis enim, quae cum dolore quodam Antiphilae narrat, quantum intersit inter meretricem et mulierem pudicam uni viro deditam[1]), facere non potest, quin eius mores summis laudibus efferat, quae verba a Clinia avidissime auribus percipiuntur. Quid enim magis exoptat, quam ut amica fidem servaverit?[2]) Quin iam fieri potest, ut ipsam amplectatur.

Burs. rell. XCIII (1897) p. 136) verba recurrere liceat: „Es ist eine geradezu rührende Scene, wie die unschuldige Antiphila, die noch gar nichts in ihrem Leben von einer meretrix gehört hat, ohne Bedenken mit ihr geht und plaudert."

[1]) Ad versum 384 „Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio" in codice Bembino ascriptus legitur versus hic: *Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται* (143 K.) Itaque Bacchidis ipsius partes, quamquam Venedigerus et Roetterus eam apud Menandrum fuisse negant, cum Clitiphonis (p. 8 an. 1) et Syri (p. 10 an. 1) fragmentis exemplaris Graeci ipsis testatas habemus. Neque enim quicquam refert, quod Venedigerus l. s. p. 131, ut coniectura huius fabulae adauctae sua stare possit, cum Ihnio (Quaest. Ter., Diss. Bonnae 1843 p. 42 thes. 17) hunc versum ut sententiam generalem a scholiasta quodam ascriptam abicit. Nam ne haec quidem eius delendi causa videtur satis iusta, quod idem ex Arrephoro Menandreo (fr. 72 K) affertur, cum, ut recte Kockius monet, tale proverbium saepius repeti potuerit. Parum vero constantem Nencinius se praebet, qui, quamquam ipse quoque hunc versum quasi sententiam generalem ab hoc loco alienum censet, tamen fr. inc. 645 K *ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμῇ τρόπος χρηστός, διπλασίως ὁ προσιὼν ἁλίσκεται* — sententiam sane non minus generalem atque eam certae fabulae non tribuendam — cum proximis huius scaenae versibus comparat (sc. 381 sq.).

[2]) Bethius (Die antiken Terenzillustrationen, Jahrb. d. archaeol. Instit. XVIII (1903) p. 95) iure monet hac in scaena codicum imagines a scriptura tradita abhorrere, cum praeter reliquas personas Clitipho a Syro detentus in scaena conspiciatur. Neque vero nos hanc ob rem habemus, quod verba „Syre, vix suffero: | hocine me miserum non licere meo modo ingenium frui (400 sq.)!" Clitiphoni tribuamus, quod praeter Fabrum et Bethium Nencinius (Quaest. Ter., Riv. di filol. XXI (1892) p. 471) voluit, cui Schleeus l. s. p. 157 astipulatur. Clitipho enim proxima scaena exeunte Syri iussu abiit, at Clinia iure dolet, quod patris ira impediatur, ne amica ex optato fruatur. Qua in re Syrus facere non potest, quin ei asssentiatur veritus, ne pater i. e. Menedemus (cf. Bentley ad h. l. et Leo, Goett. Gel. Anz. 1903 p. 996 in Bethi praef. ad cod. Ambr. H 75 inf. (F) photot. ed. censura) diu etiam duras sc. aures (sic interpretatus est Vahlen in Herma vol. XV (1880) p. 268) det.

Sed Syrus, qui nunc etiam timet, ne quisquam totam fraudem cognoscat, statim urget, ut intro eant, cum senex diu omnes exspectet[1]).

Actus III.

Sc. I (410—511). Cena est facta, neque vero Chremes Syri dolum audacissimum perspexit. Mane enim proximo exit, ut vicinum de filio reverso certiorem faciat, tum eum moneat, ne filii libidinibus nimis obsequatur. Quin cum Menedemus, qui modo in agrum, ut sole oriente solet, est abiturus, omnia pati se velle dicat[2]), dummodo filium ipsum secum habeat (464 sqq.), ad tam inauditum eius adiuvandi studium procedit, ut senex ipse seni suadeat, ne se ad quamlibet magnam pecuniam dandam paratum esse filium sentientem faciat, immo

---

[1]) Haec Syri verba et Roetterum l. s. p. 10 et Herrmanowskium l. s. p. 22 offendunt, cum Syro a sene mulieres exspectari serio dicere non liceat, qua ex re certissimum contaminationis testimonium apparere censent. Dziatzko ipse in Roetteri programmatis censura (Deutsche Literaturzeitung XIII (1892) p. 1460) in fabula Menandrea Clitiphoni intro misso (380) a Syro mandatum esse putat, ut patrem de mulieribus advenientibus certiorem faceret. Sed Syrus quod ab ipsis adulescentibus Antiphilam arcessitum mittitur, hoc patre invito non fieri iure sibi persuasit (cf. p. 7 an. 2). Jam Bacchidem pro Antiphila ad cenam est ducturus, Antiphilam ipsam matri familias traditurus, itaque optimo iure haec ipsa facit verba, ut timore occultato nimis diu astantes quos censet, intro mittat. (Praeterea cf. Schlee l. s. p. 136). Quid? quod Roetterus Syrum sitne senex intus ne scire quidem arbitratur? An servus, qui ipse vesperascere (248) dicit, senem cena festiva ineunte domi esse ignorat?

[2]) Ad versum 440 „Vehemens in utramque partem es nimis“, hoc codicis Bembini scholion exstat: *Πᾶς πατὴρ μωρός* (144 K), quod ipsum quoque et Venedigerus et Nencinius cum Ihnio l. s. thes. 18 ab Hautontimorumeno abiudicat. Sed ex hoc ipso fragmento denuo cognoscitur, quomodo Terentius sensum generalem ad verborum nexum accommodare studuerit, cum Chremetem pro communi patrum stultitia (cf. Siess p. 251) Menedemo inconstantiam i. e. quasi particulam stultitiae ad Menedemi Bacchidis sumptus sustinendi consilium adaptatam crimini dantem fecerit. Simul autem paucis his verbis Menandreis novum satisque certum Syri turbarum testimonium inest.

per servi fraudem argentum ad meretricis sumptus sustinendos necessarium sibi eripi sinat (470 sqq.). Aegre autem Menedemus ne statim ad filium complectendum contendat, retinetur. At cito vult falli[1]. Sed Chremes, qui se totam per noctem de nimiis Cliniae sumptibus vitandis secum reputasse[2] vicino dixit, nunc, ut hanc rem, i. e. alienam perficiat, altero officio alieno liberare se debet, cum Simo et Critoni vicinis arbitri munere se esse functurum pollicitus sit[3]). Itaque Menedemus

[1]) Quod senex ipse vult decipi, cum nulla in fabula palliata senes non caveant, ne fallantur (cf. And. 196 sqq. „Si sensero hodie quicquam te fallaciae conari — verberibus caesum te in pistrinum dedam usque ad necem“), haec res in Asinaria Plautina iterum occurrit, cum Demaenetus senex haec verba faciat: „Me defraudato! — Qua me, qua uxorem, qua tu servom Sauream potes, circumduce, aufer (91 sqq.)!“, qua ex re a Leone, Quaest. Plaut. p. 132 non iniuria Demophilum Menandri sectatorem appellari apparet.

[2]) Inepte sane Roetterus l. s. p. 11 an. hos versus reprehendit, quod istum hominem, quem Syrus satis multum bibisse dicat (518 sqq.), eadem nocte de Clinia patri restituendo cogitasse veri dissimile sit. Nam ut Chremetem ipsum se nimis potasse negare (519) non dicamus, Roetterus haec ipsa verba ad senis aliena curantis mores demonstrandos plurimum valere minime sentit.

[3]) Hic alter est locus, quo Nencinius l. s. p. 70 Terentium iniuria archetypi quasdam reliquias, quae ad hanc fabulam concisam atque commutatam non iam quadrent, censet servasse, cum arbitri munus hic commemoratum, quod Chremes ne praestet quidem, nullo vinculo cum reliqua fabula coniunctum sit. Item Skutschius l. s. p. 8 intellegi posse negat, cur poeta Chremetem de scaena moveat, cum Menedemus interea nil proferat nisi dictum aliquod commune. Sed ut ab hac re egrediamur, Menedemus tanto filii reversi gaudio affectus nil narrat nisi Chremetis absentis prudentiae laudem satis ambiguam, quem deinde omnium hominum appellat longe stultissimum (874 sqq). Vel inde satis cognoscitur hunc locum sicut priorem a Nencinio reprehensum (cf. p. 6 an 1) ad Chremetis mores enarrandos pertinere. An nimiam eius aliena curandi cupiditatem poeta dilucidius demonstrare potest quam quod ipsum abeuntem inducit, qui munere illo se liberet? Actione igitur ipsa utroque loco mores senis fiunt aperti, quippe quem spectatores illic sua facientem videant, quae, dum aliena curat, neglexit, hic alienum munus repudiantem conspiciant, ut alterum negotium alienum suscipiat. Schleeus autem in Nencini libelli censura l. s. p. 139 utroque loco poetam in animo habere censet

solus relictus hanc nimiam eius benevolentiam admirans facere non potest, quin mirum in modum institutum esse dicat, ut homines aliena melius videant quam sua (503 sqq.). Sed redit Chremes[1]), ut fallaciae illi struendae operam det, quam ob rem Menedemum domum remittit.

Sc. II (512—561). Modo autem Syrus exit, ut tandem consilium illud, quod cum adulescentibus communicare noluit (336), in Chremetem intendat[2]). Pecuniam enim Bacchidi dandam comparaturus statim eius benevolentiam captat (522 sqq.), cum de

---

alterum actorem cum altero commutare, ut prior nova veste indutus in scaena proxima alterius personae partes agat. Menedemum enim v. 167 abeuntem in scaena secunda Clitiphonis partes sustinere dicit, quod quidem probari potest, nisi forte hae Clitiphonis partes tritagonistae sunt tribuendae, ut protagonista, quem in scaena prima Menedemi partes tenere veri simillimum est, deinde Syri suscipiat. Sed si quidem novae comoediae poetae plus tribus actoribus usi non sunt, quid haec actorum distributio ad Chremetis Phaniam vicinum ad cenam ducendi consilium explicandum, quo solo Nencinius offenditur? Quid? quod hoc loco, cum post versum 497 versus 509/11 cum codicibus ponit, versu 500 Menedemum, qui in scaena proxima Syri partes agat, abeuntem facit, ut versus 502/7 a nescio quo actore Menedemi persona arrepta proferantur? Nam, ut de huius scaenae exitu prorsus mutilato non loquamur, quos versus Bentleius in suum locum redegit recteque disposuit, quid omnia haec verba ad Chremetis abitum interpretandum, quo Nencinius et Skutschius offenduntur?

[1]) Legrandius l. s. p. 353, qui sex versuum spatium (502/7) non satis esse putat, quo Chremes munere illo se liberet, quot tandem versuum spatio opus sit, vix ipse statuet, cum de proximis vicinis agatur. Quo accedit, quod tali in re ab antiquis poetis unquam rerum veritatem ipsam accurate expressam esse nemini persuadebit. Nam exempli gratia in Adelphis Hegio, qui post versum 506 Sostratae domum abit, ut cum ea colloquatur, post versum 510 redit, atque in Eunucho Gnatho, qui versu 283 Thaidis domum ingreditur, ut puellulam a milite donatam inducat, vix trium post versuum spatium redit, cum dicat: „Etiam nunc tu hic stas, Parmeno?“ Quibus in fabulis ne Legrandius quidem imperiti poetae vestigia esse aperta censebit, quae in Hautontimorumeno detexisse sibi videtur.

[2]) Idem l. s. p. 352 reprehendit, quod Syrus, qui antea tam audacter se gerat, hic quomodo difficultates ab ipso paratas superet, prorsus nesciat; quae tamen verba nulla re fulciuntur. Syrus enim dicit

meretricis forma et Clinia patris duritia pulso verba facit. Quam ob rem quantopere obstupescit, cum, nedum ipsius consilium perficere possit, a sene ipso technis fallendo impellatur, ut hunc adulescentem dolo in patrem struendo adiuvet. Sed cum intellexerit minime ioco senem haec verba fecisse (541 sqq.), se voluntati eius obsecuturum esse libentissime pollicetur (547 sqq.) spe inflatus se nunc eo impunius argentum Clitiphoni necessarium adepturum esse (559 sqq.).

Sc. III (562—613). Sed Chremes, qui modo abiit, omnibus inopinantibus cum filio redit[1]), quem quod Cliniae amica nimis familiariter usus sit, tam vehementer increpat, ut fieri non possit, quin Syrus eum iam omnia perspexisse putet. Mox vero eum Bacchidem filii esse amicam nescire cognoscit. Itaque ne Clitiphonis imprudentia rursus in tantum periculum veniat, statim senis ipsius verba, qui filium monet, ut amantes illos solos relinquat (572 sqq.), prudenter arripit, cum ei suadet, ut filium ambulatum mittat, qua re facta se satis tuto tandem argentum ipsum comparare posse sperat. Itaque cum adulescente pulso a sene interrogetur, inveneritne iam consilium aliquod in vicinum struendum, se habere quoddam minime negat (597). Sed se ita machinationem suam enarraturum esse callide adicit, „ut aliud ex alio inciderit (598)", quibus verbis agit, ut id

intendendam esse in senem fallaciam i. e. die List scil. ea, quam vespere proximo rectam et tutam appellavit (327), non eine List, quae sibi sit invenienda. Sane statim consilium illud, quod habet in promptu, in senem intendere incipit, ut ei pecuniam eripiat. Sed ne id ad finem perducat, ab ipso sene impeditur.

[1]) Et ira illa, qua inflammatus Chremes filium a meretrice abducit, et verbis eis, quibus eum ex amantium conspectu decedere dicit opertere (572 sqq.), satis declarari censeo, quod haec altercatio domestica sub spectatorum oculos subicitur. Quodsi quis cum Legrandio l. s. p. 353 vituperat, quod egrediendi causa non expressis verbis indicetur, minime ex hoc loco inertia quaedam poetae cognoscitur. Immo usu solemmi fretus, quo res in vita cotidiana intus gerendae in comoediis ante aedes fieri solent (cf. Lundstroem, Aussen oder Innen? in Eran. I. (1896) p. 106 et Bethe l. s. p. 100 sq.), id omisit, quod facillime sane exempli gratia ita paucis attingere potuit, ut Chremetem se puduisse filium intus i. e. coram familiaribus vituperare dicentem faceret.

praetextum pro vero nimirum cum sene communicet, quo praetexto usus Antiphilam matri familias tradidit. Dicit enim[1]) meretricem illam, cui virgo ad uxorem abducta ab anu quadam Corinthia pro decem minis debitis arraboni relicta sit, iam a Clinia petere, ut sibi pecuniam illam det, quam deinde ab Antiphila sit accepturus[2]). His verbis auditis Chremes obstupescit. Nam vicino veritus, cui hoc consilium nimis magni stare censet, quasi non recte ea audiverit, Syri repetit dicta hisce: „Et poscit quidem (606)?"[3]). Qua re affirmata („Hui, dubium id est? Ego sic putavi") tamen, quod tandem consilium servus in animo habeat, interrogare pergit[4]). Hic iam profert se velle ad Menedemum ire. cui dicat Antiphilam ditem

---

[1]) Nencinius l. s. p. 70 an. Ladewigi (Beitr. zur Kritik d. Terenz, Neustrelitz 1858 p. 6) sententiam iure repudiat, qui in proximae scaenae exitu apud Menandrum longiorem soliloquium arbitratur fuisse, quo Syrus de consilio mandato meditatus sit. Quin Syrus ne cepit quidem novum consilium, immo suam profert fallaciam dudum captam. quam quidem senis verbis commotus impunius sane (560) iam in Menedemum intendit.

[2]) Ad versus 605 verba „Illam illi tamen post daturam" Wagnerus l. s. annotat: illam sc. anum, quod quidem verbum non potest referri nisi ad Antiphilam.

[3]) Haec verba Wagnerus l. s. recte interpretatus est hisce: „Also wirklich, fordert sie?" Sed verba „ego sic putavi" Chremeti falso tribuit. Immo Syrus apte: „Hui, inquit, dubium id est? Ego sic putavi" i. e. „Ist das (bei einer Person wie Bacchis) zweifelhaft? Ich weiss es nicht anders. scil. als dass sie das Geld fordert." Itaque non habemus, quod scripturam traditam „poscit" cum Dziatzkone mutemus aut in „dabit" vel „daret" (Mus. Rhen. XXI (1866) p. 315 sq.) aut in „possit scil. effici" (edit. Tauchn., cf. praef. p. XXIV), quam Tyrrellius recepit lectionem (edit. Oxon.), ut omittamus verbo „effici" neglecto nimiam huic loco obscuritatem inferri, quae ne exemplis quidem a Dziatzkone allatis (Haut. 677, Phorm. 303, 818, Ad. 568) defenditur.

[4]) Herrmanowskius l. s. p. 26 an. 13 reprehendit, quod Syrus infra 790 sqq. ad hanc arrabonis narrationem quasi rerum veritati respondentem redeat, quamquam ipsam hanc narrationem a poeta hoc loco non instituі mox cognoscemus nisi ea mente, ut servus possit ad eam recurrere, qua tandem Chremeti pecuniam eripiat. Qua ex re quam male Herrmanowskius totam hanc fabulum perspexerit, satis cognoscitur.

esse captivam Cariam, quam si emat, multum sit lucraturus (608 sq.)[1]. Sed Chremes, ut vicino quam optime consulendum esse censet, hanc aptam esse fallaciam negat (610 sq.)[2]. Syrus autem fabricam reiectam minime dolet („Optata loquere.“ „Non est opus.“), cum satis parvi eius intersit Menedemo decem illas minas Bacchidi promissas eripere, quod facere conatus omnino non est nisi Chremetis verbis commotus. Immo dudum excogitatum habet, quomodo eundem dolum in hunc senem ipsum intendat (513). Sed cum eum prolaturus sit („Iam scies“, cf. 673), aliquis tam vehementer aedium fores aperit, ut senex

[1]) Cum hoc loco conferri potest Pers. 651 sq.: „Emam, opinor. || Etiam opinor? Summo genere esse arbitror; | divitias tu ex istac facies.“

[2]) Licet Chremes Syri verba comprobaret, Menedemo inscius eandem mulierem traderet, propter quam ille antea filium domo expulit, qua ex re ipsa quoque petulantia quaedam poetae Bacchi feriis digna apparere videtur. Tamen nihil esse, cur cum Hermanowskio l. s. p. 27, qui Menedemum non quam callidissime, sed quam celerrime decipi velle affert, huius consilii reprehensionem vituperemus, dilucidissimum est. Chremes enim sua sponte Syrum fabricam in vicinum struendam fingere iussit, itaque iam iure id consilium reicit, quod ei minus placet, novumque a servo poscit („Quid agis?“). Sed quod tandem novum consilium Syrus in animo habeat, poeta ipse nos celat ita, ut eo ipso tempore mulieres egredientes faciat. Itaque eis contenti, quae scripta videmus, huius rei coniecturam mittamus. Nam tales coniecturae quam sint fallaces, ex his Legrandi l. s. p. 352 an. verbis cognoscitur: „Si l'arrivée de Sostrata n'interrompait pas l'entretien, Chrémès feindrait sans doute de se laisser convaincre par Syrus, et finalement lui promettrait son concours“. Quid? quod Nencinius l. s. p. 71 ex eadem coniectura concludit proximam scaenam totam apud Menandrum non actam, sed narratam fuisse? Ladewigio l. s p. 7 enim astipulatur, qui in huius scaenae exitu aliquid resectum esse putat, quo Chremes ipse Antiphilam empturus fuerit. Itaque cum senex, qui pecuniam elatum domum abierit, intus captivam illam Cariam, quam Syrus dixerit, suam esse filiam compererit, factum esse, ut proxima narrando cum spectatoribus communicarentur. Sed quid Chremetis intersit Antiphilam emere, cum Syrum per dolum eam captivam esse proferre non ignoret, neque Ladewigius neque Nencinius dicit.

exclamet: „Mane, mane, quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?“ [1])

Sc. IV (614 - 667). Mater enim familias cum nutrice de anulo quodam recognoscendo colloquens exit[2]), ut maritum quaerat. Iam anu remissa cum eo communicat anulum illum a virgine ad se adducta in lavando detractum esse eum, quem olim filiolae expositae apposuerit. Chremes autem, quamquam primum quidem facere nequit, quin uxorem, quippe cui puellula illa necanda fuerit (635)[3]), vehementissime increpet, tamen ira lenita ipse in hanc rem inquirere vult, ut unde mulier illa anulum ceperit, cognoscat. Filiola enim nata se alterum filium tollere posse sese sperasse, nunc cum tam grandis natu plus unum filium non habeat, se ad filiam ipsam recipiendam paratum esse uxori dicit, quippe quae insuetam hanc mariti clementiam vehementissime admiretur (664 sqq.)[4]).

---

[1]) Haec verba Dziatzkonem (in edit. Tauchn., cf. praef. p. XXIV) rectissime Chremeti tribuere apparet.

[2]) Quod Legrandius l. s. p. 353 declaratum non esse putat, quod mulieres secum colloquentes domo exeant, Sostratae verba „Sed postquam aspexi, ilico cognovi, ad te exilui (656)“ non respicit. Immo quod Sostrata colloquium cum nutrice inceptum non intus absolvit, sed cum ea tam subito foras proruit maritum quaesitum, ut Chremes verbis illis „Mane, mane e. q. s.“ Syro interloquatur, verae matris animus incerto gaudio elatus atque perturbatus demonstratur.

[3]) Ex hoc loco liberos non modo expositos, sed interdum etiam interfectos esse cognoscitur, qua de re cf. Schoemann-Lipsius, G. A. I[4] p. 545 an. 2.

[4]) Roetterus l. s. p. 12 hoc loco, cum filiam cupiat, Chremetem sibi filium esse oblivisci putat, qua ex re Clitiphonis partes a fabula Menandrea alienas esse concludit. Sed quam perperam verba illa „Nunc ita tempus fert, mi ut cupiam filiam (667)“ interpretatus sit, pluribus exponere non oportet. At memoratu dignissimum est in nova comoedia patres omnino plus duos liberos tollere non solere. Quin etiam si quando, ut hoc ipso loco, filiola olim exposita inopinato recognoscitur, ne ita quidam ulla in fabula fit, ut parentes tres habeant liberos. Velut in Andria Chremes Glycerio agnita duas habet filias, in Ennucho Chremes sororem recuperat, item Miles in Curculione, in Poenulo Hanno ambas filias invenit, in Phormione Demipho Antiphonem habet filium filamque Lemni natam, in Cistellaria Demipho Selenio cognita duas habet

Sc. V (668—678). Syrus autem, qui solus relinquitur, iam non dubitat, quin sibi summum periculum immineat. Nam si est Antiphila Chremetis filia agnita, ne Bacchis quidem diutius eius domi manere potest. Itaque nunc pecuniam illam, quam ut compararet, adhuc frustra enisus est, omnino remittit, cum se triumphaturum esse dicit, si latere tecto possit abscedere i. e. nisi Bacchidem Clitiphonis esse amicam senex cognoscat (671 sq.). Tamen satis aegre fert, quod decem illae minae („bolum tantum"), quas quasi offam iam devoraturus sibi est visus (611 sq.), tam subito e faucibus sibi ereptae sint (673)[1]. Sed nihilo minus cum ad novum consilium capiendum accesserit, mox tam aptum se invenisse exclamat[2]), quo etiam „fugitivum illud argentum ad se retrahere possit".

Sc. VI (679—722). Est Antiphila Chremetis filia, quod Syrus certo ab ipso Clinia comperit, qui modo summo gaudio elatus ad patrem reversurus est[3]). Itaque cum nunc in eo

---

filias. In tollendo autem patres rem familiarem respexisse hoc Adelphorum versu confirmatur: „Tu illos duo olim pro re tollebas tua (809)." Itaque ut tunc temporis patres omnino filios tollere maluisse quam filias non dicamus (quod ita se habere vel inde concludendum videtur, quod nulla in fabula filius olim expositus invenitur), Chremetem filiolam ea mente exposuisse, ne quando dotem dare cogeretur, ex ea re cognoscitur, quod, ut pecuniae est tenacissimus, Antiphila agnita hanc rem maxime queritur (838 sqq., 937 sqq.).

[1]) Nencinius l. s. p. 72 bolum illud (sc. lucrum) ad id argentum refert, quod Chremes iam elaturus fuerit, cum captivam illam Cariam emere voluerit (cf. p. 20 an. 2). Herrmanowskius l. s. p. 27 vero hoc verbum non spectare sibi persuasit nisi ad Antiphilam ipsam, quam ob rem cum servus hac muliere ad pecuniam comparandam nondum usus sit, versus 671/8 a Terentio ex alia fabula contaminando esse adiectos arbitratur. Sed hanc boli commemorationem ad scaenam huius actus tertiam exeuntem esse referendam, quo loco Syrus consilio in Menedemum struendo reiecto Chremeti ipsi decem illas minas erepturus est, pluribus demonstrare vix oportet.

[2]) Versus 675/7 quodammodo cum egregio illo Mil. Glor. loco (201 14) conferri possunt, quo loco Periplectomenus Palaestrionis meditantis gestus enarrat.

[3]) Quid magis cum natura humana congruit, quam quod Clinia, postquam Antiphilam agnitam esse vix comperit, reliquis rebus neglectis

sit, ut consilium modo captum perficiatur, servus ambagibus missis a Clinia petit, ut Bacchidem secum domum ducat[1], quamquam ei permittit, ut patri eam non suam esse amicam dicat. Quin etiam concedit, ut Menedemus cum Chremete ipso verum communicet, quod illum tamen crediturum non esse sibi persuasit. Nam verum dicendo se utrumque senem decepturum esse gloriatur (711).

Sc. VII (723—748). Sed Cliniae dubitationibus victis novum instat periculum. Bacchis enim ad militem illum, quem Syrus ipse antea ab ea repudiatum simulavit (365), est abitura, quod argentum promissum nondum accepit[2]. Itaque servus quantum potest, denuo pecuniam illam pollicitus ei persuadet,

---

foras ruit, ut cum patre, quem propter amicam solam fugit, quam celerrime communicet iam nullam irae esse causam, immo fieri posse, quod unquam fore ipse sperare ausus non sit, ut pauperem illam puellulam Corinthiam, quam putaverint, in matrimonium ducat exoptatissimum, quippe quae Chremetis filia sit agnita i. e. dives civis Atheniensis? Quo animi affectu poeta satis scite utitur, ut Cliniam in scaenam ducat, qua re cum satis declarat, quomodo fiat, ut ille nimio gaudio affectus totam fraudem intus non prodat, tum id agit, ut Syrus consilium modo captum perficere possit. Nam commemoratione est dignissimum, quod Syrus domum non intrat, ut de agnitione certior et Cliniam et Bacchidem foras ducat, quibuscum fallaciam suam communicet, sed certissimo poetae consilio et iuvenis et meretrix forte fortuna ei se offert. Quae cum ita sint, nullius sane momenti Legrandi l. s. p. 353 verba sunt haec: „Il n'est pas vraisemblable que Clinia, qui se trouve chez Chrémès lorsqu'on y reconnaît Antiphile, ait assez d'empire sur lui-même pour cacher ses vrais sentiments, et qu'il attende d'être hors de la maison pour se laisser aller à une joie délirante".

[1]) Idem l. s. p. 352 reprehendit, quod Syrus Bacchidem ad Menedemum traducere audeat, quem severum esse senem sibi persuaserit (402, 526/8). Sed servus ille, qui Antiphilae agnitione summas in plagas iniectus est, iure tam parvi momenti scrupulis non sollicitatur, immo ambagibus missis Cliniam amici quoque res in tuto ponere iure ac merito iubet.

[2]) Quanta arte poeta non solum Bacchidem in scaenam ducat, quae ad Menedemum traduci possit, sed etiam eis verbis, quibus Syrus Clitiphonem petulanter decipit (365 sqq.), ne hoc loco plura de milite illo sint proferenda, efficiat, nemo est quin sentiat.

ut cum Clinia ad Menedemum abeat; eius turbam Dromonem traducere iubet[1]).

Actus IV.

Sc. I (749–804). Chremes autem certior factus iam vicino meretricem illam esse alendam, eo maiore eius misericordia afficitur. Itaque nunc necesse esse putat, efficiatur tandem dolus Syro dudum mandatus. Quam ob rem cum servus ille, quem quaesitum egressus est, se iam perfecisse fallaciam responderit, cum Bacchidem Clitiphonis esse amicam Clinia patri dixisset, tantopere gaudet, ut ei etiam caput demulceat (762). Sed cum ille pergat Cliniam, ut aurum et vestem a patre accipiat, simulare se Antiphilam velle uxorem ducere, hanc consilii partem dignitati suae atque auctoritati veritus iure repudiat, cum Cliniae illi tam corrupto filiam suam esse nupturam ne per iocum quidem concedit, (779 sqq.), immo alia via perfici cupit, ut adulescens ille argentum adipiscatur[2]). Syrus autem huic rei operam se daturum esse cum pollicitus sit, hisce pergit: „Sed illud, quod tibi | dixi de argento, quod ista (sc. Antiphila) debet Bacchidi, | id nunc reddendumst illi, neque tu scilicet | illuc confugies: „quid mea? — num iussi (790 sqq.)?““ Quibus verbis cum cautissime omnes excusationes tollat, quas timet,

[1]) Hoc loco editores recentiores iure actum tertium finiverunt. Parva enim actionis intermissio est statuenda, dum mulieres, quae apud Menandrum gaudii festivi plenae saltantes domo exisse videntur i. e. quasi chori (ΧΟΡΟΥ) munere fungentes (cf. Leo, Der neue Menander l. s. p. 166 sq.), ad Menedemum traducuntur.

[2]) Quod Nencinius l. s. p. 71 an. 1 affert: „Praesensit callidus servus Chremetem quamvis fallaciis suis faventem in filia tamen sua periculum facere se negaturum, immo id ne fieret, statim argentum soluturum“, haec interpretatio omnino refellenda est. Syrum enim etiamsi senex despondendae filiae consilio faveret, tamen ad pecuniam comparandam transiturum esse apparet (790). Sed in eo huius loci vis comica est posita, quod senex consilium illud reiciendo quasi ansam dat, ut servus eo tutius ad ipsius fallaciam proferendam accedere possit (cf. p. 25 an. 1).

ne senex faciat[1]), eum sane ad pecuniam dandam impellit. Quin etiam ab eo impetrat, ut Clitipho ipse hanc summam ad meretricem deferat, quod, ut petulantissime adicit, in eum amoris suspicio delata sit (800).

Sc. II (805—828). Opportunissime igitur accidit, quod modo Clitipho ipse a deambulatione illa revertitur. Qui quamquam nunc etiam vehementissime irascitur, quod se servus ab amica extruserit, tamen rebus prorsus iam commutatis facillime reconciliatur.

Sc. III (829—841). Sed redit Chremes cum decem illis minis, quibus inscius emungitur[2]); quibus acceptis Syrus cum Clitiphone, qui quid sibi fiat, vix intellegit, Menedemi domum festinat. Senex autem dum eorum reditum exspectat, cum aegritudine quadam secum reputat, quanti filia modo inventa

[1]) Syrum minime sibi persuasisse pecuniam illam se tam facile a Chremete accepturum esse quam accipit, ex prudentia cognoscitur, qua omnes scrupulos seni eximere studet. Jtaque Herrmanowskius l. s. p. 28 iniuria reprehendit, quod Syrus in novo consilio capiendo (674 sqq.) ita se gerat, quasi res difficillima ei sit perficienda. Idem in Legrandi l. s. p. 352 cadit sententiam, qui verisimilius fore dicit, si Antiphila agnita Clinia Bacchidem amicam a se iam dimitti simularet, ita ut pecunia comparata Clitipho ea porro ex animo frueretur. Huc accedit, quod Syrus pecuniam Bacchidi promissam seni ita tantum eripere potest, ut eam Cliniae esse amicam nunc etiam simulet. Chremes enim consilium aliquod ex eo quaerit, quo Clinia a patre argentum accipiat ad meretricis sumptus sustinendos necessarium. Sed via ei displicet, qua servus ad finem pervenire studet. Qui cum se aliam viam esse quaesiturum pollicitus sit, interim Bacchidi id argentum dari posse, quod Antiphila modo agnita ei debeat, satis callide adicit, ita ut seni omnino in mentem non veniat hanc summam per fraudem sibi eripi. Sed si Clinia Bacchidem dimisisset, senex hac arrabonis narratione sane obstupefieret, ut, priusquam decem illas minas solveret, cum filia ipsa de his rebus colloqueretur. Jtaque Legrandium non habere apparet, quod hac in re fabulae structuram reprehendat.

[2]) Similiter et Nicobulus Bacch. 1059 Chrysalo ipse pecuniam dat sibi per fraudem ereptam et Pyrgopolinices in Mil. Glor. exitu quam maximam operam dat, ut Philocomasion Pleusicli, qui eam rapturus venit, ipse tradat (cf. Leo, Quaest. Plaut. p. 162).

iam stet. Satis igitur aegre fert, quod etiam gener sibi reperiendus sit, cui bona sua det[1].

Sc. IV (842—873). Neque vero Syrus cum Clitiphone redit, sed Menedemus conspicitur, qui etiam dum egreditur[2]) filio, quod resipiverit[3]), laetissimus gratulatur, cum Bacchidem illam sumptuosissimam profecto Clitiphonis esse amicam modo ipse cognoverit. Itaque libenter iam a Chremete petit, ut filio Antiphilam modo inventam in matrimonium det. Ille vero cum nil agi sibi persuaserit nisi Syri fallaciam, his verbis

[1]) Hic alter est locus, quo Roetterus l. s. p. 11 Chremeti sibi filium esse in animum non venire putat, cum aliquem quaerat, cui bona sua det. Sed poetam data opera senis parci mores demonstrare, cui dos danda tam molesta sit, ut totam rem familiarem amittere statim se censeat, pluribus exponere non oportet.

[2]) Usu solemni in nova comoedia personas in limine aedium consistentes cum spectatoribus ea communicare, quae intus fiunt vel facta sunt, satis est notum. Velut ex his Menedemi verbis cum filio factis concludendum est Clitiphonem vix domum ingressum maxima cum cupiditate Bacchide esse potitum; altera fabulae scaena ineunte spectatores Clitiphonis verbis auditis his: „Nil est, quod vereare, Clinia" Menedemi filium ex Asia reducem apud Chremetem devertisse statim sciunt, cum ei Cliniae nomen esse poeta antea scite indicaverit hisce: „Me ignoras, Clinia (105)"; infra 879 sqq. Chremes uxoris reprehensione prodit eam summopere gaudere, quod filia inventa sit. Poetas autem hanc narrandi rationem non ubique cum vita cotidiana congruere non ignorasse, luculenter cognoscitur ex And. 490 sq.: „Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperae, | sed postquam egressast, illis quae sunt intus, clamat de via."

[3]) Roetterus l. s. p. 12 filium resipisse Menedemo dicere licere negat, cum is solus resipiverit, „qui ex subita aliqua insania amoris, cupiditatis, libidinis ad pristinum ingenium redeat, ita ut quantum in se admiserit flagitii, cum dolore cognoscat". Quae interpretatio sane in Cliniam non cadit, quippe qui nunc etiam Antiphilam amet. At non sentit Roetterus, quam lepide poeta huius verbi sensum variaverit. Chremes enim cum Menedemi verbis auditis dicit „Ut errat!", ita hoc verbum excipit ut Roetterus ipse, Menedemus, qui filio narranti mulierem, quam secum ducat, non suam esse amicam fidem non habuerat vicini verbis fretus, nunc se certo iam scire eam re vera Clitiphonis esse, quippe quem modo cupidissime ea potientem viderit, eodem verbo indicat.

auditis nedum vicini precibus obsequatur, facere non potest, quin eum irrideat dictis hisce modo a Syro ipso compertis: „Et illum aiunt velle uxorem, ut, quom desponderim, | des, qui aurum ac vestem atque alia, quae opus sunt, comparet (845 sq.)“. Sed cum Menedemus, quippe qui filii voluntati resistere non audeat (858 sqq.), eum rogare pergat, ut nihilominus filiam nuptum dare se simulet, hanc rem modo prorsus negatam perficere non gravatur (864 sqq.)[1]. Immo ut „cautim et paullatim“ det satis sibi confisus abeuntem monet (870); deinde ipse laetissimus domum intrat.

Actus V.

Sc. I (874—954). Sed paullo post Menedemus, quem summus vicini error diutius fugere non potuit, domo redit, ut eum de tota fraude in ipsum conversa certiorem faciat. Neque iam fieri potest, quin Chremes, qui uxorem increpans[2]) modo ipse quoque exit, his rebus compertis prorsus frangatur atque comminuatur. Is enim, qui semper omnia perspecta

[1]) Cum Kleinio (Gesch. d. Dramas II p. 600) discrepantia hos inter locos non est statuenda. Illo enim loco Chremes timet, ne auctoritas sua atque dignitas nimis minuatur, si illi servi consilio cedat, hoc loco idem ab eo petit vicinus ipse, cui, ut decipi se sineret, quantum potuit, antea persuasit. Itaque cum nunc ea ipsa fraus agatur, fieri nequit, ut ipse vicini precibus obstet (cf. 862 „Perfice hoc mi perpetuo, Chremes“).

[2]) Locus huius simillimus Rudentis est hic (1202 sqq.): „Quid conspicor? | Uxor complexa collo retinet filiam; | nimis paene inepta atque odiosa eius amatiost. | „Aliquando osculando meliust, uxor, pausam fieri!““, cum ex utroque matrem vehementissime gaudere cognoscatur, quod filia inventa sit, quamquam, quod Leo (Quaest. Plaut. p. 143) monet, Cistellaria excepta in comoedia nova ubique patres liberos inveniunt. Quod autem Chremes hic uxorem loquacem appellat, cum ex nullo fabulae loco eius loquacitas appareat (cf. Siess, l. s. p. 259), haec verba non pertinere possunt nisi ad Chremetis mores demonstrandos, quippe qui, cum alienis auxilietur, in uxorem ipsam semper satis durum atque iniustum se praebeat.

habere sibi est visus, iam se iure irrideri confitetur, cum quasi caecus res tam apertas non viderit (915 sqq.); quin nunc in eo est, ut, cum antea vicinum consilio sibi esse adiuvandum censuerit, ipse ex eo quaerat, quid sibi faciendum sit (924). Quae ad verba ille optimo iure respondet: „Nonne id flagitiumst te aliis consilium dare, | foris sapere, tibi non posse te auxiliarier? | (fac) id quod me fecisse aiebas parum (151 sqq.). | Fac te patrem esse sentiat; fac ut audeat | tibi credere omnia, abs te petere et poscere!" Haec satis gravis est poena, qua ab eo afficitur, cui eisdem fere verbis eum filium non recte tractasse crimini dedit. Sed par est, non senem ipsum solum, sed etiam Clitiphonem eiusque servum puniri, quippe qui nimia fere ignominia eum affecerint. Itaque iam pater iratissimus postquam se Antiphilam Cliniae in matrimonium daturum esse pollicitus est, a vicino petit, ut domum reversus Clitiphoni dicat sororem totam patris rem familiarem doti esse accepturam[1]. Filium enim hoc consilio ita comminuere in animo habet, ut quo se vertat nesciat, servum se loris esse caesurum iurat (949 sqq.).

Sc. II (954—977). Neque spes eum fallit. Paullo enim post filius summa sollicitatione affectus cum Menedemo exit[2],

---

[1]) Quod Roetterus l. s. p. 14 haec affert: „Quid? quod Menedemus ne scire quidem videtur, quam bene de amica filio res cesserit? Filiam petit a vicino, datur. De Antiphila quondam amica ne verbum quidem", ad haec verba nil respondere est opus, nisi Menandrum legem illam arte scaenica vere dignam secutum ea omittere, quae ad fabulam absolvendam nil omnino pertineant, ut cum ipso patre de pristino filiae concubinatu verba facere a decori legibus prorsus abhorrere non dicamus.

[2]) Hic Legrandius l. s. p. 353 reprehendendum esse putat, quod sex fere versuum spatium (949/54) minor sit quam quo Menedemus ea, quae pater ad faciendum sibi proposuerit, Clitiphoni narrare possit. Sed ut ea omittamus, quae supra hac de re exposuimus (p. 17 an. 1), hic accedit, quod poeta nobis persuadere studet Clitiphonem ne pati quidem sibi intus omnia a Menedemo narrari, immo ut quam celerrime ad patrem ipsum veniat, exheredationis vocabulo audito eum cum Menedemo foras ruere, ut in via reliqua ab eo comperiat. An alias decla-

quem etiam ante aedes interrogat, quanam de causa pater se tam gravi poena affecerit. Sed pater ipse vicinum verum esse locutum affirmat[1]). Quin etiam quasi exheredatione statuta filius eiusque servus iam vere a se sint alieni, quamquam aegre iram retinet, summa cum irrisione utrumque, quid ipse faciat, curare vetat, nedum servum, qui frustra totum facinus in se admittit, vapulare iubeat; nulloque verbo adiecto, quasi neminem relinquat, domum abit.

Sc. III (978—1002). In tanta senis crudelitate atque duritia mirum non est, quod Syrus nova statim fallacia excogitata facillime Clitiphoni suspicionem inicit eum subditum esse filium, quippe quem parentes filia inventa a se abalienent. Satis enim callide secum reputat adulescentem hac suspicione mota parentes ad misericordiam veniamque dandam esse adducturum sibique ipsi iri ignotum (995 sqq.). Tamen omnibus rebus respectis vix ipse facere potest, quin timeat, ne Clitipho modo intro profectus uxorem ducere cogatur neve ipsi nihil sit veniae (999)[2]). Itaque cum Chremetem et Sostratam

---

ratur, quod Menedemus omnino cum Clitiphone exit mandatisque expositis domum redit? Qua cum re egregie congruit, quod poeta Clitiphonem non versu aliquo absoluto, sed in medio versu in scaenam reducit (cf. Dziatzko-Hauler, Phormio[3] p. 48).

[1]) Cum versibus 967 sq. „Ibi tuae stultitiae semper erit praesidium, Clitipho, | victus, vestitus, quo in tectum te receptes" a Kampio l. s. p. 19 rectissime confertur frustulum hoc: Ἀλλ' ἦν χιτών σοι (148 K). Itaque hoc fragmento quamvis parvo, quod quidem neque Venedigerus l. s. p. 132 neque Nencinius l. s. p. 73 ad hunc fabulae locum quadrare putat, et Clitiphonis et Syri et Bacchidis partes Menandreae satis confirmantur.

[2]) Huius versus scripturae traditae „Etiam haud scio anne uxorem ducat ac Syro nil gratiae" offensionem non inesse apparet. Quam ob rem non habemus, quod cum Dziatzkone (in edit. Tauchn.), quem Tyrrellius (in edit. Oxon.) sequitur, ac in at mutemus; ac ne pro anne quidem, quam vocem Dziatzko (praef. p. XXVI) non inveniri dicit nisi in altero duplicis interrogationis membro, „an iam" scribendum est, cum constet poetas priscos ante vocalem formam anne pro an vulgo servasse (cf. Thes. L. L. II. p. 1).

exeuntes [1] conspexerit, quam celerrime ad Menedemum confugit, quem precatorem sibi paret.

Sc. IV (1003—1023). Mater enim benigna, quae filii suspicione comperta maritum vehementer sollicitata secum foras duxit, iam sciendi est cupidissima, quanam de causa stultum illud exheredationis consilium ceperit. Ille vero nedum dicat, se filium ab hereditate seclusum esse simulasse tantum, uxorem etiam irridet atque illudit, cum eius mores filii esse simillimos dicit.

Sc. V (1024—1044). Sed Clitipho ipse domo redit denuo a matre petitum, ut sibi parentes suos monstret. Iam vero Chremes iram diutius retinere nequit, immo filium tam vehementer increpat, ut is tritissimus exclamet: „Eheu, quam nunc totus displiceo mihi, | quam pudet! Neque quod principium capiam ad placandum scio (1043 sq.).“

Sc. VI (1045—1067). Sed pater iratissimus, nedum ei veniam det, magis eius animum angit, cum e Menedemo, qui mox pacem reconciliatum advenit, cur non arcessat filiam cum dote statuta quaerit. Iam autem et ab uxore et a filio ipso et a vicino oratur atque rogatur, ut exheredationis consilium remittat; quod tamen non prius vult facere, quam filius meretrice abdicata se uxorem ducturum pollicitus sit [2]). Necessitate igitur

[1]) Legrandius l. s. p. 353 hic reprehendendum esse censet, quod et Chremes cum Sostrata causa non allata exeat et quattuor versuum spatium satis non sit, quo Clitipho suspicionem suam cum parentibus communicet. Sed Sostratae animi affectu rectissime utrumque declaratur, cum ex toto verborum nexu concludendum sit exheredationis consilio vix comperto maritum, quippe quem coram filio interrogare nolit, ab ea foras duci, cum ipsa quid factum sit, prorsus nesciat. Itaque imperitum poetam non dicas eum, qui haec expressis verbis indicare noluit.

[2]) Quem ad fabulae exitum Nencinius l. s. p. 68 haec annotat: „Quod quidem matrimonium nec necessarium argumento fabulae, postquam adulescens meretricem abdicavit, nec prorsus ulla antea arte praeparatum nec decori legibus respondens uni Terentio deberi amores comicos nuptiis concludere solito iure suspiceris, quamquam id pro certo affirmare non equidem ausim“. Quae verba ad unum omnia esse futtilia ex rerum nexu modo demonstrato cognoscitur. Hoc enim matrimonium

Clitipho hanc summam poenam, quam putat, subire cogitur, etsi deformem illam puellulam, quam mater in promptu habet, se ducere posse negat. Nunc tandem patris veniam adipiscitur, qui libenter iam Syro ipsi ignoscit.

Pars II.

Ex argumenti interpretatione quid de fabulae compositione discamus.

Haec de Hautontimorumeni argumento. Iam quid ex eo de totius fabulae compositione discamus est demonstrandum. Ac primum quidem fugitne quemquam hac in fabula saepissime vituperata et singulas scaenas artissime secum esse coniunctas neque rerum continuationem seriemque usquam deleri atque interrumpi? An quisquam dicet offensionibus illis, quas viri docti omnibus in fabulae partibus, maxime in actu primo et secundo detexisse sibi videntur, aut Nencini fabulae Menandreae a Terentio resectae graviterque mutatae sententiam aut Roetteri et Herrmanowski contaminationis doctrinam confirmari? Singulos enim locos reprehendentes neque totum argumentum semper satis in iudicium vocaverunt et raram illam Dionysiorum agrestium commemorationem[1] aliasque res a poeta hic illic ad fabulam recte intellegendam indicatas nimis neglexerunt.

Ac ne fragmentis quidem, quibus et Venedigerus[2] et

non solum Syri dictis (999) scite praeparatur (cf. p. 9 an. 3), sed etiam ad iucundum fabulae exitum efficiendum unum est necessarium, cum Chremes iratior sit quam ut filium hac amica abdicata alteri se dedere patiatur, qua cum re convenit, quod sane matrimonium Clitiphoni gravissima poena videtur.

[1]) Quin etiam Legrandius l. s. p. 357 expressis verbis hanc rem nil ad argumentum interpretandum valere dicit hisce: „Ce sont les Dionysies rurales — ce détail inutile au point de vue de l'intrigue e. q. s.“

[2]) Affert enim l. s. p. 135: „Abgesehen von dessen (scil. Menandri) fast überall hervortretenden Neigung zu Charakterschilderungen, denen

Nencinius[1]) suam doctrinam confirmari putat, de gravibus exemplaris Graeci mutationibus cogitare cogimur, cum ex eis ut de prima scaena, quantum videmus, mere translata non dicamus[2]), et Clitiphonis[3]) et Syri[4]) et Bacchidis[5]) partium vestigia satis certa cognoscantur. Sed unum exstat fragmentum, quo primo quidem obtutu Terentium fabulae Menandreae structuram minime integram reliquisse certissimum fieri videtur. Athenaeus (XIV, 651 a) enim hos tradit versus ex Hautontimorumeno excerptos (fr. 146 K):

Μετ᾽ ἄριστον γὰρ ὡς ἀμυγδάλας ἐγὼ
Παρέθηκα καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν . . .

Quae verba, cum Terentiana in fabula prandii nusquam mentio fiat, non possunt referri nisi ad Chremetis haec:

Nam unam ei cenam atque eius comitibus
Dedi; quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam ut alia omittam, pytissando modo mihi
Quid vini absumpsit „sic hoc“ dicens; „asperum,
Pater, hoc est: aliud lenius sodes vide!“

Nonne autem his verbis respectis fragmentum illud, quod vertimus „Nam post prandium cum amygdalas apposuissem et mala Punica ederemus . . .“, statim hisce supplere cupias: „quam immodeste se gessit“? Simillimi sane hi sunt loci. Fragmenti enim verbis aliquis res post prandium appositas enarrat, ac ne apud Terentium quidem cena illa sub spectatorum oculos subicitur, sed Chremes ipse quoque verbis eam illustrat.

eine einfache Handlung zur Grundlage dient (quamquam Menandri fabulas minime in simplicibus argumentis consistere ex quattuor illis comoediis in Aegypto inventis, quae modo publici iuris sunt factae, nunc satis cognoscitur), lassen uns gerade die von unserer Komödie gebliebenen Fragmente nur auf diese einfache Handlung schliessen.“

[1]) Haec facit verba l. s. p. 69: „Fragmenta de gravioribus mutationibus fidem faciunt.“

[2]) cf. pp. 2 an. 1 et 4 an. 1 huius comm.

[3]) cf. pp. 8 an. 1, 15 an. 2, 29 an. 1 huius comm.

[4]) cf. pp. 10 an. 1, 15 an. 2, 29 an. 1 huius comm.

[5]) cf. pp. 14 an. 1, 15 an. 2, 29 an. 1 huius comm.

Quid? quod utroque loco de cena secunda verba fiunt, cum constet Graecos vinum non fere bibisse nisi post cenam ipsam?[1]) An aptius nimii meretricis sumptus demonstrari possunt quam cenae secundae exemplo, in qua ipsa tunc temporis Graecos cuppediis maxime variis praeter vinum usos esse satis est notum?[2]) Itaque fragmenti verba cum Chremetis Graeca in fabula eodem rerum contextu coniuncta fuisse veri simillimum est. Quid autem maiorem veri speciem habet, quam id quod Terentium, quem ex primo huius fabulae fragmento et scaenae loci nomen et res ad Menedemi fundum accuratius demonstrandum pertinentes pro spectatorum suorum ingenio omisisse cognovimus[3]), Chremetis cenae narrationem breviorem reddidisse dicimus, cum tunc temporis Romani amygdalas et mala Punica vix satis novissent?[4]) Quodsi diligentius fragmenti verba inspicimus, ipsum illud vocabulum *ἄριστον*, quo offendimur, cum trimetrorum iambicorum legibus repugnare apertum fit. Quae quidem offensio, si cum Bentleio[5]) *ἐγώ* delemus, sane tollitur. Sed num vocem sanam eiciamus? Immo *ἄριστον* vocabulum corrigendum esse apparet, cum praesertim ulla aetate cenis secundis tam opipare apparatis, quam hoc fragmento nobis persuadetur, exornata esse prandia vix quisquam credat, quamquam certam aliquam medelam ne nos quidem in promptu habemus.

Itaque ne hoc quidem fragmento, ex quo Dziatzko[6]), quam

---

[1]) Herrmann-Blümner, Griech. Antiquitäten IV[3] p. 243.

[2]) Becker-Goell, Charikles II[3] p. 327 sqq.

[3]) cf. p. 2 an. 1 huius comm.

[4]) Hehn, Kulturpfl. u. Haustiere p. 382: „In Italien nennt Cato gegen die Mitte des 2. Jahrhunderts weder iuglandes noch Kastanien noch Mandeln" et p. 383: „Auf jeden Fall kann bei dem Mangel fester Namen an eine allgemeine Kultur dieser Bäume in Italien zu Plautus' und Catos Zeit nicht gedacht werden", quamquam mala Punica Catoni satis nota videntur fuisse, qua de re cf. ibid. p. 238.

[5]) Men. et Philem. rell. ed. Meineke Berol. 1823 p. 459.

[6]) Affert enim in Roetteri programmatis censura (Deutsche Literaturzeitung XIII (1892) p. 1460) „Die Abweichung beruht wohl darauf, dass bei den Römern alter Zeit langausgedehnte Frühstücke ungewöhnlich

antea Benfeyus[1]) defendit sententiam, Terentium ipsum huius fabulae argumentum in binos dies dispertisse apparare ducit, quo et Venedigerus l. s. p. 131 et Roetterus l. s. p. 14 et Nencinius l. s. p. 73 sq. suam doctrinam confirmari putat, cui Kampius l. s. 18 prandii alicuius a Terentio omissi vestigium inesse arbitratur[2]), quod ne Legrandius quidem[3]) apte cum fabula Terentiana comparari posse censet, eo adducimur, ut exemplar Graecum a Terentio graviter mutatum dicamus. Immo Chremetem apud Menandrum ipsum quoque meretricem sumptuosam questum esse apparet[4]).

waren.“ Sed Dziatzko etiamsi demonstrasset Terentio tantopere veterum Romanorum consuetudinem moremque curanti, ut propter prandium inusitatum tantum laborem fabulae in binos dies distribuendae subiret, Bacchidis meretricis procacissimae Syrique servi audacissimi partes non ipsas quoque delendas fuisse, quomodo fieri potuisse nobis persuaderet, ut huius fabulae argumentum tam diuturnum post prandium verisimilitate servata eodem die etiam ad finem perduceretur, cum praesertim eam mense Decembri agi non ignoremus? Ita autem Terentio, quem reliquam fabulam integram reliquisse cognovimus, non solum eos locos tribuere cogeremur, quibus vesperum appropinquare solemque oriri significatur (168 sqq., 212, 248, 410, 461), sed etiam egregium illum locum, quo Chremes se totam per noctem somnum cepisse negat (491 sq.), nedum actu III ineunte Menedemus apud Menandrum domo exire potuerit, cum eum semper in agro laborare comperiamus. Plurimum autem valet, quod ne Dziatzko quidem demonstravit apud Graecos unquam cum prandio tale convivium fuisse coniunctum, quale in fabula Terentiana multis convivis arcessitis agitur.

[1]) in Ter. fabb. translat. teste Nencinio p. 73.

[2]) Quamquam in quam fabulae partem prandium illud inserendum sit non affert.

[3]) l. s. p. 354 an. 2: „En particulier il est difficile d'accorder avec le plan de la pièce latine le fragment de la pièce grecque, où il est question d'un déjeuner.“

[4]) Iam frustulum relinquitur (147 K) *Ταῦτά σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια*, quod proverbium Terentius, qui more illo poetarum Latinorum satis noto reliqua quoque fragmenta proverbialiter dicta ad totum verborum nexum adaptavit (cf. pp. 8 an. 1; 14 an. 1; 15 an 2), ut a spectatorum ingenio alienum iure omisit.

De reliquis fragmentis, quae a viris doctis ad hunc illum fabulae locum afferuntur (cf. Nencini p. 75 sq.), verba facere supersedere possumus, cum ex eis nil firmi certique appareat. An quisquam id com-

Iam restat, ut cognoscamus, congruantne cum rebus modo statutis verba ea, quae Terentius ipse prologi versibus 4—6 de huius fabulae compositione facit.

Ac primum quidem versum 4 „Ex integra Graeca integram comoediam (5 hodie sum acturus Hautontimorumenon)", quo Terentium hanc fabulam non esse contaminatam expressis verbis dicere censuerunt [1]), breviter licet absolvere. Skutschius enim postquam et Fabia [2]) et Nencinius l. s. p. 66 et Leo [3]) viam muniverunt, nil eo dici nisi novam hanc esse fabulam dilucidissime demonstravit, neque omnibus vocis „integer" exemplis Terentianis examinatis in dubio reliquit, quin hic versus ita vertendus sit, ut ipse fecit verbis hisce (l. s. p. 4): „Aus einem unübersetzten Griechischen [4]) ein noch unaufgeführtes Lateinisches [5]) Stück".

Iam cum versu quinto nil afferatur nisi fabulae nomen, ad sextum „Duplex quae ex argumento facta est simplici" [6]) est

---

probat, quod, ut exemplum afferamus, Nencinius ex fr. inc 586 K, quippe quo de Clitiphone quodam verba fiant, hunc adulescentem apud Menandrum prius a deambulatione illa revertisse quam apud Terentium concludit?

[1]) Post Lessingium in Dram. Hamb. cap. 87 imprimis Dziatzko, De proll. Plaut. et Ter., Diss. Bonnae 1863 p. 8.

[2]) Les prologues de Térence, Lut. Paris. 1888 p. 20.

[3]) Analecta Plaut. II, Gotting. 1898 p. 22 sq.

[4]) Schol. Bemb. ed. Umpfenbach in Herm. II (1867) p. 363: integra Graeca: a nullo translata.

[5]) Schol. Bemb. supplev. Studemund in Annal. fleckeis. XIV (1868) p. 555: novam: in s(caena nondum vis)am.

[6]) Codicis Bembini scripturam „Duplex-duplici (man. rec. corr. simplici)" nunc etiam quemquam recipere vix putes, cum de illa metri difficultate, quae vocabulo duplici non creticae, sed anapaesticae mensurae inest, dubitari iam non possit. Quod tamen Stadthausius (De prologis fabularum Plautinarum, Progr. Friedeberg Nm. 1906 p. 8 sq.) facit, qui, cum prologis Plautinis operam det, in hanc comoediam incidit, cuius prologum a Dziatzkone in dissertatione perprave mutilatum esse sentit. Itaque cum in ordinem eum esse redigendum censeat, ne una quidem virorum doctorum sententia respecta, quae quam crebrae inde a Dziatzkone prolatae sint, facile ex Meyeri dissertatione cognoscas, versum quintum post sextum ponit, quod quartus cum sexto artissime cohaereat, deinde ita hunc locum interpretatur: „Eine ganze Komoedie ganz nach der

accedendum, quo de versu variisque eius interpretationibus nuperrime egit Meyerus[1]). Qui quamquam verba „quae ex argumento facta est simplici" recte ita interpretatur, ut ea dicat significare „facta est ex una[2]) fabula Graeca" a Terentio nimirum, qui more illo Romanorum satis noto non is modo videtur, qui fabulas transfert, sed ipse quoque poeta, qui facit (ποιεῖ) fabulas, tamen quid fabula sit duplex ullo modo intellegi posse negat, quam ob rem Lessingio l. s. astipulatur scribenti „Simplex—simplici".

Sed qui nullo iudicio praeoccupatus verba Terentiana „duplex fabula" legerit, non aliter vertet atque „Doppelstück". Hanc autem fabulam a Terentio duplicem iure propterea appellari, quod duorum adulescentium negotia complectatur, et grammatici antiqui[3]) recte intellexerunt et infra cognoscemus[4]). Itaque prorsus cum Leone l. m. s. facimus, qui, cum hunc versum et annominationis figura et collocatione verborum[5]) insignem explicat „duplex (scil. est fabula) quae ex argumento facta uno est tamen[6])", Terentium hanc comoediam non esse contaminatam expressis verbis proferre dicit vel duplicem hanc fabulam totam ex una fabula Graeca esse translatam[7]).

Griechischen, welche nach einem doppelten Sujet zu einer doppelten gestaltet ist, will ich heute vorführen, den Hautontimorumenos", quam quidem interpretationem pluribus reicere non iam est opus.

[1]) Quaest. Terent., Diss. Lips. 1902, pp. 56—61.

[2]) „Simplex" vocabulum annominationis figurae gratia ita pro „unus" esse dictum ut in versu quarto alterum „integer" pro „novus" Leo demonstrat l. m. s.

[3]) cf. p. 49 an. 1 huius comm.

[4]) cf. pp. 48 sqq. huius comm.

[5]) Vocabula duplex et simplex gravissime esse inter se opposita Gaffiotius (Le prologue de l' Haut. et la question de la cont., Rev. de philol. XXVIII (1904) p. 128 sq.) nimis neglegit, cum ex hoc versu nil aut pro fabulae contaminatione aut contra contaminationem concludi posse censet.

[6]) Neque habemus, quod illud tamen tota verborum collocatione probatum cum Skutschio l. s. p. 5 reprehendamus.

[7]) Eandem sententiam et Legrandius l. s. p. 350 et Siessius l. s. p. 243 comprobat.

Quibus ex verbis quid Terentius, cum hunc scripserit versum, in animo habuerit, satis cognoscitur. Adversariis enim obicit hanc fabulam non sicut Andriam reprehendere licere, cum contaminata non sit, spectatorum blande et scite benevolentiam captat, cum eis dicit hanc comoediam, etsi contaminata non sit, tamen duplici actione contineri (Hecyra enim simplicis actionis fabula duobus annis ante non steterat) i. e. eam non minus ad delectandum esse aptam quam Andriam, cum satis variae turbae ei insint. Sed cum hoc versu facto quasi in tuto versetur, iam in eo esse putat, ut tandem quid ipse de contaminando sentiat, cum spectatoribus communicet. Ingenue enim profitetur (17—21) minime contaminationem sibi vitium videri neque se veriturum esse etiam postea fabulas contaminare, quorum ex verborum nullo sane colligi potest ea ad hanc fabulam defendendam spectare. Quae cum ita sint versui sexto, quem Meyerus quidem a spectatorum nullo intellegi potuisse censet, neque quicquam obscuri inest, cum ex illis adversariorum criminationibus tales compositionis quaestiones tunc temporis saepissime esse versatas concludere liceat, neque Skutschi sententia ulla re probatur, qui in incontaminatae fabulae prologo se a contaminationis crimine defendere nulli in mentem venturum esse dicit. Qua de re iam plura afferre supersedere possumus, cum Skutschium, qui nemini sane persuasit nisi Krollio[1]), et Meyerus et Schoellius[2]) et Legrandius et Gaffiotius (cf. p. 36 an. 5) et Siessius recte impugnaverint.

Itaque nihil esse apparet, cur non totam hanc fabulam unius Menandri consilio attribuamus mereque eam a Terentio

---

[1]) Die Altertumswissenschaft im letzten Vierteljahrhundert in Burs. rell. vol. CXXIV (1905) p. 22.

[2]) Mus. Rhen. LVII (1902) p. 48 sq.; Schoelli ipsius sententia propterea maxime displicet, quod Terentium hoc versu non de sua, sed de Menandri fabula iudicium ferre censet. Similiter Schanzius l. s. p. 147 verba „facta est“ non ad Terentium (scil. translata est), sed ad Menandrum referre videtur, cum dicit: „Die durch die Antithese duplex-simplex zugespitzten Worte bedeuten, dass aus einer zu Grunde liegenden Idee doch gewissermassen ein verdoppeltes Stück herausgewachsen ist“.

translatam credamus. Quo fundamento iacto iam ad fabulae Terentianae, quae in manibus est, structuram explicandam nos convertamus.

Hac in fabula actu altero ineunte, cum servi ex urbe revertuntur utriusque adulescentis amicam Chremetis domum ducturi[1]), actionem incipi ipsam scil. veterum epitasin,[2]) cum ea, quae antea narrantur, non pertineant nisi ad hanc rem praeparandam, quam grammatici antiqui fabulae protasin[3]) appellabant, ea quae fraude detecta fiunt, non spectent nisi ad res inceptas absolvendas, quam fabulae catastrophen[4]) iure dicebant, pluribus demonstrare non est opus. A Syri igitur machinationibus vel ab actione, quae quin uniuscuiusque fabulae quasi caput et summa sit, nemo dubitat, nobis incipiendum censemus.

Quae turbae Antiphilae agnitione aperte duas in partes distribuuntur. Antea enim Syro unum est propositum, ut pecuniam Clitiphoni necessariam comparet, quod propterea facillime assecuturum se esse sperat, quod, quo ipso dolo usus Bacchidem ad Chremetis cenam duxit, meretricem Cliniae esse amicam simulavit, Antiphilam ut meretricis arrabonem matri familias tradidit (329 „argentum eadem hac inveniam via"). Iam Antiphila agnita summum est periculum, ne tota fraus in lucem proferatur. Clinia enim, cui subito amicam, cuius gratia tantas molestias subiit, in matrimonium ducendi potestas est data,

[1]) Certissima lege in eis fabulis palliatis, quae machinationibus quibusdam continentur, a consilio fraudis futurae capiendo actionem incipi Leo, Quaest. Plaut. p. 190 demonstrat.

[2]) Euanth. IV, 5 (Wessner p. 22): „Epitasis incrementum processusque turbarum ac totus, ut ita dixerim, nodus erroris."

[3]) Donati Exc. de com. VII, 4 (Wessner p. 27): „Protasis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam".

[4]) Euanth. ibid.: „Catastrophe conversio rerum est ad iucundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum."

Donat. ibid.: „Catastrophe explicatio fabulae, per quam eventus eius approbatur."

Omnino de huius grammaticorum doctrinae natura cf. Leo, l. s. p. 210 sq.

nulla re retineri potest, ne ad patrem revertatur, nedum meretricem illam procacissimam suam esse amicam diutius simulare velit. Quam ob rem Syro est perficiendum, ut Bacchidem, quae adhuc satis tuto in Chremetis aedibus erat versata, suspicione non mota quam celerrime domo educat, qua re etiam viam illam relinquit, qua argentum promissum inventurum se esse speravit. Jtaque Antiphilae agnitione etsi Cliniae negotium ad finem perducitur, tamen propria actio in Syri fallaciis posita in prorsus aliam partem convertitur, qua ex re satis cognoscitur poetam hac in fabula agnitione quasi peripetia uti, cum ea in reliquis huius generis fabulis Plautinis et Terentianis totum nodum erroris solvi nemo nesciat.[1])

Quodsi diligentius in hanc rem inquirimus, mox apertum fit non esse hanc Syri consiliorum peripetiam, sed videri tantum. Nam quod attinet ad Chremetem, servus ille sicut adhuc simulat Bacchidem Cliniae esse amicam, qua ratione eam sine periculo Menedemi domum traducit. Ac nunc demum efficere potest, ut Clitipho, quem antea, ne argenti comparandi consilio impedimento esset, domo ipsa extrusit, amica ex optato fruatur, cum perficit, ut ipsi pecuniam ad eam transferre liceat. Hanc vero summam propter id ipsum a sene impetrat, quod Antiphilam Bacchidi arraboni esse datam ante agnitionem simulavit. Jtaque nunc tandem, cum Antiphila agnita ad hanc rem perficiendam uti potest, scil. seni dicere filiam ipsam decem illas minas meretrici debere, satis apte eum ad argentum dandum impellit, quam fraudem ut ad finem perduceret, antea ter frustra enisus est (512 sqq., 598 sqq., 611 sq.). Huc accedit, quod ei nunc demum contingit, ut id quod a Chremete facere iussus est, scil. Menedemum fallere, cum suo ipsius consilio prorsus confundat, quod antea ita tantum perficere conatus est, ut sibi in animo esse diceret Menedemum eo adducere, ut Antiphilam quasi captivam Cariam emeret. Quo consilio repudiato tunc satis gaudebat, quod eius haud ita

---

[1]) Andr., Capt., Cas., Cist., Curc., Epid., Eun., Hec., Men., Phorm., Poen., Rud., Vid. cf. Leo, l. s. p. 142 sq.

multum intererat vicinum summa illa Clitiphonis Bacchidi promissa emungere. Nunc autem audacter iactare se potest sibi ambos senes ludibrio fore atque id verum dicendo.

Jtaque nemo non videt hanc fabulam post agnitionem demum solemni servi fallacia ad catastrophen perduci vel omnes servi machinationes agnitione niti atque propagari, minime absolvi atque finiri, quod vel inde apparet, quod Antiphila in media comoedia agnoscitur neque sicut in reliquis huius generis fabulis in exeunte i. e. consueta fabularum in agnitione positarum structura in prorsus contrariam partem mutata est. Quae cum ita sint, Cliniae negotium agnitione finitum a poeta institutum non videtur, nisi ut eo Syrus ad Clitiphonis absolvendum utatur.

Nonne vero idem viri docti reprehenderunt? Quin Xencinius l. s. p. 69 expressis verbis „Ea pars, inquit, quae additicia Venedigero videtur, scil. Clitiphonis negotium, nimis prae altera eminet, qua quidem argumentum nititur". Sed ipsis his verbis „qua quidem argumentum nititur" apertum fit, quam vehementer et ipse et Venedigerus et Roetterus erraverit. Hi enim viri docti et prima fabulae scaena et titulo decepti exspectant, ut totam per fabulam nil fere agatur nisi res ad discidium illud inter Menedemum et Cliniam exortum pertinentes, cum reliquas, quas ad actionem futuram praeparandam spectare scaenas modo indicavimus, omnino neglexerint. Itaque iam in eo est, ut paullo diligentius, quam hi viri docti fecerunt, ex poetae verbis ipsis, quid ad demonstrandum vere sibi proposuerit, cognoscamus.

Prima autem fabulae scaena absoluta nil exspectatur, nisi ut Clinia ex Asia redeat atque cum patre, qui eum vehementissime desiderat, reconcilietur. Sed hic nodus ante fabulam ipsam nexus altera scaena ineunte iam solutus videtur, cum Clinia adsit. Nam si Chremes cum adulescente apud se deverso communicaret patrem maerore victum pati iam velle eum ad amicam pauperem commetare, num desideraremus quicquam, si fabula modo incepta ita ad finem perduceretur, ut Clinia iam laetissimus patri se dederet? Sed Chremeti

subito in mentem venit eum patris veniam celare, qua re sola non modo Clinia eius domi manere cogitur, sed etiam efficitur, ut Antiphila eo possit duci ibique agnosci atque una cum ea Bacchis adveniat i. e. ut omnes turbae atque errores instituantur. Chremeti igitur soli reliqua fabula debetur, qua re ipse poeta apertissime indicat hunc senem primariam fore fabulae personam, non Menedemum, quod hi quidem viri docti exspectant. Nonne hac cum re optime congruit, quod Menedemo in fabula ipsa ne licet quidem coram spectatoribus filium salutare, qui ut redeat, solum exoptat? Ac ne inde quidem, quod prima scaena huius ipsius senis mores maxime demonstrantur, eum primarias partes acturum esse concludere licet. Usu enim solemni in his comoediis una cum actione futura earum personarum mores exponuntur, quarum res imprimis aguntur. Quod cum ex hac ipsa fabula dilucide cognoscitur, cuius prima scaena praeter Menedemi etiam Chremetis mores indicantur, in altera iterum Chremetis, in tertia Clitiphonis, Antiphilae, Bacchidis, in quarta Cliniae, tum ut de reliquis non dicamus, ex Mostellaria, Menaechmis, Poenulo, Pseudulo[1]) Plautinis, quibus in fabulis post propriam actionis futurae expositionem eae scaenae inveniuntur, quibus nil fere nisi ipsi personarum mores demonstratur. Quin vel inde, quod Chremetis verbis petulantiae plenis (199 sqq.) Cliniae negotium iam ad finem perductum satis artificiose propagatur, concludere licet huius quidem adulescentis rem poetam non imprimis ad tractandum sibi proposuisse, immo eo ad reliquam fabulam sustinendam opus esse. Hanc autem reliquam fabulam Clitiphonis argumento nisuram esse ea re confirmatur, quod eisdem senis verbis Clitipho eo adducitur, ut spectatores de suo amore certiores faciat, i. e. cum prima scaena ea proferantur, quae ante fabulam ipsam facta sunt, ut totam fabulae futurae condicionem exponat.

Itaque id quod modo e Syri fallaciis in Antiphilae agnitione positis cognovimus, scil. Cliniae negotium ad Clitiphonis

---

[1]) Leo, Quaest. Plaut. pp. 176, 186, 190, 196.

propagandum esse institutum, expositione ipsa satis confirmatur. Restat igitur, ut quaeramus, num idem cum Cliniae amore ipso priore fabulae parte demonstrato congruat.

Constat autem Cliniam propterea ex patria in Asiam abisse, quod, ut eum patris opprobria ferre iam noluisse omittamus, a se impetrare non potuit, ut patre flagitante amicam abdicaret. Itaque cum exspectetur, id quod fit in fabula Terentiana, ut adulescens non patris, sed amicae desiderio commotus in patriam redeat, nemo non censebit eum, postquam e nave vix egressus sit, statim amicam salutatum in urbem esse contenturum, deinde aut ad patrem reversurum, aut tunc etiam iram eius nimis veritum rursus e patria cessurum. Tamen Terentius iuvenem reducem ad amicam festinantem non facit, qua re arrepta Roetterus l. s. p. 18 sq., cum veram fabulam Menandream, quam putat, restruere conetur, eum statim patri quaerendo operam dantem facit, amicam neglegentem. Sed nonne apertissimum est, quam male adulescentis vere amantis naturam intellexerit?[1] Longe aliter Terentius. Hic enim Clitiphonem inducit, qui amicum advenientem in portu exspectat. Ab amicissimo igitur, cuius partes quanta iniuria Roetterus abiecerit, ne verbum quidem adicere oportet, Clinia impeditur, ne statim ad amicam festinet. Accedit, quod Terentius Clitiphonem dicentem facit: „E navi egredientem ilico abduxi ad cenam (183)". Cenam igitur illam Dionysiacam respiciamus necesse est, cui ut intersit Cliniae a Clitiphone duplici gaudio et reversi amici et Bacchi feriarum elato persuadetur, cum praesertim fieri possit, ut amica per servos adducenda ipsa quoque dierum horum festissimorum particeps sit. Sed ne ita quidem satis declararetur,

---

[1]) Neque rectius quam adulescentis vere amantis Menedemi illius sese punientis naturam perspexit. Arbitratur enim, quamquam ipse quoque primam fabulae Terentianae scaenam exemplaris Graeci quasi fundamentum putat, apud Menandrum eum rursus in pristinam iram incidisse, postquam compererit filium ipsum reducem amore illo sibi inviso teneri. Sed de huius senis moribus totam per fabulam constantibus cf. Siess, l. s. p. 244 sq.

quod is adulescens, qui amicam tantopere amat, ut patrem relinquere maluerit quam eam abdicare, ab amico commovetur, ut ad cenam eat ibique otiosus maneat, dum amata ad se veniat, cuius gratia ipse ex Asia rediit, cum apud ipsam deversus et celerius et tutius desiderium explere possit, nisi gravissima causa reliqua esset, cur amicum sequatur. Vehementissime enim timet, ne amica se absente corrupta sit. Quid igitur facilius intellegitur, quam quod servum exploratum mittit, qui amicam si meretrix facta non sit, ad cenam festivam ducat, ne ipse tantopere desideratam fidem non servasse cognoscat? Quin dum servi in urbe morantur, tanto amicae corruptae timore excruciatur, ut iam nihil audire cupiat nisi iniuria se eam suspectam habere. Itaque hac re affirmata tam vehementi gaudio afficitur, ut, nedum de amata fruenda cogitet, eam iure ac merito matri familias tradi censeat, cum praesertim civis alicuius Atheniensis filia esse videatur (cf. p. 9 an. 3), quibus rebus solis fretus Syrus Bacchidem una cum Antiphila Chremetis domum ducere ausus est.

Poeta igitur ipse apertissime indicat se Cliniam reducem ea mente in urbem festinantem non facere, ut Antiphila Chremetis domi agnoscatur, non, id quod primo quidem obtutu expectandum videtur, consilio eo, ut adulescens amicam secum ad cenam ipsam ducat, cuius colloquio tribus mensibus intermissis iam laetissimus utatur, quae quam recte cum eis consentiant, quae modo de Clitiphonis negotio in Cliniae posito exposuimus, nemo non videt. Simul autem dilucidissimum est factum, quam futtilia sint Roetteri l. s. p. 14 verba haec: „Syri fraudes ab ipsa fabula satis abhorrent; alieni aliquid atque ut ita dicam, extranei afferunt“. Immo poetam ipsam Syri fallaciam una cum Cliniae negotio inde a fabulae initio aptissime praeparasse vel ea re confirmatur, quod Cliniae Dromonem stolidiorem inducit quam qui solus in urbem mitti possit.

Sed longius licet procedere. Ut enim iam dubitari nequit, quin expositio cum reliqua fabula prorsus consentiat, ita in rebus a poeta hac comoedia ineunte indicatis totum eius eventum

latere demonstrari potest[1]). Ac primum quidem Menedemum filium recuperaturum esse vel inde cognoscitur, quod cum vehementissimo desiderio eius reditum exspectat. Cliniam autem quem patris venia dissimulata domum redire non posse demonstravimus nisi post amicae agnitionem, cum ea ipsa matrimonio fortunatissimo coniunctum iri et ex virginis moribus pudicis a Clitiphone laudatis (226)[2]) et ex sincero adulescentis amore concludere licet. Deinde ex Clitiphonis amore meretricio magnas turbas orituras esse satis indicatur. Hic enim adulescens nil magis exoptat quam ut argentum comparet, quo meretricis procacissimae sumptus expleat, qua re in patrem more solito fallaciam susceptum iri cum spectatoribus quodammodo communicat, quamquam fraudem detectum iri statim ipse prodit, cum vehementer timet, ne pater amorem suum resciscat. Chremes autem, quod filium monet, ut ex amici fortuna quid sibi faciendum sit, discat, se dolo perspecto eadem duritia eum tractaturum esse qua ante fabulam Menedemus usus sit, satis demonstrat. Sed quod coram misero illo vicino se fili mores plane perspexisse gloriatur (151 sqq.), ei, quippe qui ipsius animi pravitate tantopere fallatur, graves poenas subeundas fore nemo non suspicatur.

Simul autem via indicatur, qua utriusque adulescentis res sint processurae, cum servi in urbem missi sint. Sed Syrum Clitiphonis meretricem secum ducturum esse expressis verbis non proditur „ad populi exspectationem tenendam", ut ait Donatus.

Expositione igitur recte intellecta totam fabulam intellegi posse neque prologo eam egere, quo pars argumenti narrando explicetur, apparet[3]).

---

[1]) Leo (Menand. Colax, Nachr. d. Goett. Ges. d. W. 1903 p. 687) ex unaquaque expositione Menandrea quodammodo fabulae exitum posse cognosci iure admonet.

[2]) Quam subtiliter Menander personarum moribus ea praeparet, quae actione ipsa sub spsctatorum oculos sit subiecturus, Geffckenus l. s. p. 6 an. 5 monet luculentoque exemplo illustrat.

[3]) Aliter Leo sensisse videtur, qui, cum fabulas Plautinas eas, quibus agnitio aliqua insit, ad unam omnes prologos habuisse ad argumentum

Sed ad agnitionem illam revertamur, in qua omnes Syri fallacias positas esse supra statuimus. Inde apparet poetam id agere debuisse, ne fabula ante agnitionem langueret. Quam ob rem iam dixerit quispiam mirum non esse, quod tot offensiones huic ipsi fabulae parti insint, quippe quae poetae inertiae debeantur. Neque enim aliter Schanzius facere videtur, cum dicit l. s. p. 147: „Dem Syrus fehlt ein fester Plan, wir werden hin und her geworfen“. Herrmanowskius vero l. s. p. 23

---

explicandum pertinentes demonstraverit (Quaest. Plaut. pp. 179 sqq.), ne Terentianas quidem fabulas eis carere posse censet. Haec enim facit verba l. s. p. 204: „Die Originale des Terenz bedurften fast alle erzählender Prologe“ et p. 220: „(Die Prologreden) hat, wo sie vorhanden waren, Terenz durch seine Prologe ersetzt“. Sed si habuit Hautontimorumenos Menandrea prologum, nil eo narrari potuit nisi a Chremete aliquando filiam esse expositam, quae forte fortuna ipsius patris domum esset ventura ut amica adulescentis cuiusdam apud senem illum deversi. Reliqua enim expositione ipsa comperimus. Sed Menandrum talem prologum huic fabulae praeposuisse parum est veri simile. Quid enim spectatores ea re lucrantur, quod Antiphilam insciam ipsius patris domum venire compertum habent? Aliter sane in Plauti Captivis res se habet, qua in fabula senex inscius suum ipsius filium, qui satis magnas partes agit, in latomias mittit. Quod autem Leo l. s. p. 200 sq. Curculionem prologum habuisse inde concludit, quod eius scaenam Epidauri esse in medio demum argumento satis obiter indicatur, ne id quidem argumentum in Hautontimorumenon cadit, quippe cuius fabulae primis ipsis versibus scaenam Halis esse positam narratum fuisse sciamus. Accedit, quod Reitzensteinius (Aus d. Strassb. Papyrussammlung in Herm. XXXV (1900) p. 625) iure dixisse videtur ex prologo illo a Kaibelio edito (Nachr. d. Goett. Ges. d. W. 1899 p. 549) apparere in nova comoedia prologos illos a deis ipsis prolatos antiquissimos esse paullatimque omnes res ad actionem recte intellegendam pertinentes in primis fabulae scaenis esse positas. Itaque quantum ad Terentianas quidem fabulas attinet, Lindsayum (Jahresber. über Plaut. 1895 1905 in Burs. rell. CXXX (1906) p. 142) recte iudicasse censeo eas fabulas palliatas, quibus prologi ad argumentum narrandum spectantes desint, ne apud Graecos quidem poetas tales prologos habuisse. Quod nunc Epitrepontibus confirmari videtur, quae ab antiquis in clarissimis Menandri fabulis ductae expositione non minus egregia instructae sunt quam Hautontimorumenos.

ita iudicandum esse censet: „Quantacumque vero licentia poetarum fuit, tam absurdam protasin quemquam ex Graecis comicis excogitasse quis credat? Neque Terentius tanta vitia exemplaris non vidisset, neque immutata reliquisset. Quid multa? Non Graeco poetae sed contaminanti Latino vitia illa debentur". Sed ea, quae ante agnitionem fiunt, tam sunt singularia tamque recte cum Syri moribus congruunt, qui petulantissimum hominem atque audacissimum se praebet, ut non de inertia quadam poetae dicere liceat, sed certissimum eius consilium cognoscatur.

Haec enim fabula, quae primas per scaenas tragico fere socco ingreditur, cum et Menedemus ille miserrimus sub spectatorum oculos ducatur et Clitipho patrum iniquitatem vehementer queratur et Clinia summo timore amicae corruptae affectus domo proruat, subito servis advenientibus satis iocularis atque ad risus movendos idonea fit, ut hac re respecta Syrum novi aliquid in fabulam inferre Roettero concedamus. Quasi enim scurra in scaenam venit, quippe quem ipsum eius senis misereat, quem petulantissime est decepturus. Neque vero id satis audaciae, quod ad ipsius patris cenam filii amicam procacissimam ducere in animo habet. Immo ipsum adulescentem, cui ut frugi servum optime consuluisse se iactat, quamvis invitum eo adducit, ut consilio suo audacissimo astipuletur, quod ut exsequatur, non solum ipsum adulescentem, cuius paedagogum se esse alias prodit, statim mendacio fallere, sed etiam domo extrudere cogitur. Nonne igitur apertissimum est poetam data opera res in reliquis fabulis Plautinis et Terentianis usitatissimas in contrariam partem mutare?

Quod poetae consilium, ut agnitionem illam tam mirum in modum adhibitam iam omittamus, multo dilucidius fit ea re, quod senex ipse per fraudem fallendus nimia servi audacia ad res prorsus inauditas suscipiendas ducitur. An alia in fabula palliata invenitur, ut senex ipse seni persuadeat, ut fallacia se decipi patiatur, ut alter senex iam cupiat falli, ut senex ipse servum ad dolum in alterum senem intendendum impellat, ut de Menedemo ante fabulam severissimo, nunc indulgentissimo non dicamus?

Quin Syrus ipse, quamvis callidus sit, perficere nequit, ut fallaciam suam ad finem perducat. Primum enim per Chremetem ipsum, quem argento emuncturus est, ne eam proferat, impeditur, alterum consilium, quo iam Menedemo pecuniam illam erepturus est, ab eodem sene reicitur, tum agnitione omnes fabricae evertuntur.

Ac ne Clitipho quidem in solemnibus adulescentibus comicis ducendus est. Satis enim stultus est homo, qui semper fere ignorat, quid sibi fiat. Invitus enim amicam patris domum recipit, invitus ambulatum mittitur sicut Parmeno ille Hecyrae[1]) servus; quin ne tunc quidem scit, quid faciat, cum id argentum tandem ab ipso patre accipit („Eccum me“ inque. — I, quid stas, lapis? 829 sqq.), „quod ut efficeret, orando surdas iam aures Syro reddiderat (330)“.

Quodsi accuratius in totius fabulae structuram inquirimus, his ipsis rebus a solemnibus porsus remotis poetam imprimis id assequi cognoscimus, quod eum agere debuisse modo statuimus, scil. ne fabula ante agnitionem langueret. Scimus enim Syrum seni argentum eripere non posse nisi Antiphila agnita usum. Itaque cum ei ante agnitionem consilium aliquod ad hanc rem efficiendam pertinens omnino ad finem perducere non liceat, poeta et Chremetem inducit, qui, nedum ipsius dolum eum proferre sinat, fallaciam aliquam in Menedemum struendam ab eo postulet (529 sqq.), et matrem familias cum nutrice tam inopinato egredientem facit (613), ut quam tandem fallaciam servus ille in Chremetem intendere voluerit, spectatores ipsi ignorent. Quod vero Syrus paedagogus sane levissimus atque audacissimus cum erili filio, quem ad fabricam suam accipiendem impellere studet, ne communicat quidem, quo praetexto usus Cliniae amicam matri familias tradere velit („vera causast“ 336), poeta scite perficit, ut ille hanc rem quasi doli in Menedemum suscipiendi fundamentum pro vero narrare possit (598 sqq.). Sed ne Syrus id quod facere in animo habet, hac arrabonis narratione ad Menedemum fallen-

[1]) cf. Leo, Quaest. Plaut. p. 126 an. 4.

dum utatur, immo Antiphila agnita ad eam ambagibus missis possit recurrere, qua Chremeti ipsi, ut par est, pecuniam illam eripiat (790 sqq.), poeta hunc senem inducit servi consilium in vicinum struendum repudiantem (610 sq.).

Simili modo reliquas res illas satis singulares cum tota fabulae structura coniunxit. Velut Clitipho ille stolidus propterea ambulatum mittendus est, quod, ut est incautissimus, probabilitate servata domi versari nequit, dum Antiphila agnoscitur summumque periculum est factum, ne tota servi fraus in lucem proferatur. Quam ob rem poeta vero illo casu scaenico adhibito[1]) non prius eum a deambulatione reducit quam omnia in tuto sunt reposita, scilicet eodem temporis momento, quo pater ipse argentum ad meretricem deferendum elaturus est. Quod vero Syrus Clitiphonem mendacio fallit, cum dicit Bacchidem eius gratia militem quendam repudiasse, poeta id agit, ut Antiphila agnita meretrix ad militem illum abitura Menedemi domum facile possit traduci. Sed omnium rerum in contrarium mutatarum quasi summa videtur paradoxon illud, quo usus Syrus cum superbia quadam prae se fert se utrumque senem verum dicendo decepturum esse, qua re propter id solum gloriari potest, quod ante agnitionem ab altero sene impellitur, ut in alterum fallaciam struat. Iam cum nunc tandem servus pecuniam illam ad Bacchidis sumptus sustinendos necessariam adipiscatur, ad quam comparandam et ipsius consilium audacissimum et senis illud mandatum pertinuit, fabula iure ad catastrophen perducitur, ita quidem ut Clitipho argento accepto nimis avide atque incaute amicae fruendae cupiditatem expleat.

Quibus rebus cognitis tota fabulae structura perspicua atque aperta videtur. Neque iam dubium est quin quamvis magnis artificiis poeta duo illa negotia expositione ipsa indicata tam arte secum devinxerit, ut alterum ab altero nullo modo possit seiungi. An Roetterus ipse, qui cum Clitiphonis partibus Bacchidis Syrique ab exemplari Graeco esse abiciendas

[1]) cf. Heinze, Virgils epische Technik p. 334.

probari censet hisce l. s. p. 15: „Duo habes in hac fabula argumenta, quae nec satis cohaereant neque in unum satis coaluerint, quorum altero patris cum filio discidium in gratiamque reditio agnita cive amica continetur, altero Clitiphonis amores Syrique servi in senem stultiorem fraudes ridiculae", nunc etiam unam personam demere audebit, nisi totam fabulam corrumpere volet?

Sed quaerendum est, perfeceritne poeta, ut hoc ex duplici argumento unum atque constans consilium appareat. Scimus enim et Syri fallaciam Clitiphonis gratia institutam et Chremetis consilium, qui Cliniam patri sibi restituendum esse censet, ita seorsum ad finem perduci, ut neque Chremes sciat, quid Syrus in animo habeat, neque Syrus suspicetur Chremetem cum Menedemo consentire. Quam ob rem etsi minime dubium est, quin propriam actionem Syrus sustineat, Chremes nil defendat nisi speciem falsam, tamen eius actionem vix secundariam appelles ut Charini adulescentis in Andria; immo haec fabula vere est duplex[1]), quam Terentius ipse appellat, quippe quae paribus actionibus contineatur.

Sed Hautontimorumenon quamquam duorum adulescentium negotiis nititur, tamen esse unam uniusque consilii fabulam ipsa illa duplici actione confirmatur, quarum utramque scimus ad Chremetem decipiendum pertinere. In Chremetis igitur persona fabulae unitas consistit. Qui quod nihilominus non, ut exspectamus, propriam fabulae actionem sustinet, id ea re aptissime

---

[1]) Grammatici antiqui, qui similem duplicis fabulae doctrinam proferunt, ubique tantum de duorum adulescentium negotiis verba faciunt, in quibus sane et parium et primariae secundariaeque actionis fabulae palliatae consistunt. Velut Donatus ad And. II, 1, 1 annotat haec: „In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae, si quidem Andria ex duorum adulescentium periculis gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius et unius comoediam adulescentis effecerit", atque apud Euanthium III, 9 (Wessner p. 20) haec invenimus: „Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adulescentes habent." Similes annotationes exstant ad And. V, 6, 13 et in Phorm. praef

excusatur, quod Syrum non agere nisi suo iussu semper arbitratur. Itaque suas partes, quae ut primariae personae ipsi sunt sustinendae, quasi Syro tradit, qua re poeta scite assequitur, ut in omnibus servi fallaciis tamen scire spectatorum maxime intersit, quomodo senex se gerat, quid dicturus sit, num sensurus sit fallacias illas in se esse conversas. Quod optime ex fabulae exitu cognoscitur. Tanta enim poena morum pravitate Chremes se ipse affecit, ut hac respecta decem illae minae ei per fraudem ereptae satis parvi momenti videantur, quippe quarum nusquam mentio fiat. Nam fabula ineunte eum filium non recte tractasse vicino crimini dedit, nunc quantopere ab ipsius filio deceptus sit, cuius mores prorsus novisse sibi est visus, intellegere cogitur. Itaque cum his rebus fabula quasi ad initium redeat, poetae consilium est apertissimum: Chremetis enim animi pravitatem ad perstringendum sibi proposuit, quam ut eo magis spectatores cognoscant, Menedemum inducit, quem cum illo quam dilucidissime comparet. Utrique autem seni idem accidit, alteri ante fabulam, alteri in fabula ipsa. Illius exemplo poeta demonstrat, quantis miseriis falsa educandi ratione adhibita pater ipse afficiatur, huius, quomodo fiat, ut patres filios tam male noverint, quippe qui aliena curantes ne possint quidem efficere, ut filii omnia sibi committant. Itaque haec fabula, in qua petulantia illa Dionysiaca tam subito serio rerumque veritati cessit, vere est ea, qua patres erudiuntur atque edocentur, ut Wilamowitzius[1]) dicit.

Personarum igitur moribus demonstrandis poetam maximam operam dare apparet[2]), quam ob rem mirum non est, quod ex iis ipsis omnem fere huius fabulae vim comicam elicit. Nullo enim loco servi facetiis quasi dirumpimur ut

---

[1]) Der Landmann des Menandros l. s. p. 518.

[2]) Nencinius l. s. p. 68: „Illud igitur, inquit, ex tota fabula documentum elici videtur, ut, si de filii salute agatur, irati patris animus vel sapientissimi certa ratione regi nequeat“, quibus ex verbis satis cognoscitur, quam male totam hanc fabulam, quam putat mutatam atque resectam, intellexerit.

Pseudoli et Bacchidum Chrysali fallaciis argutissimis, sed Chremetis errore ubique summopere delectamur, ita tamen, ut gaudium nostrum cum misericordia quadam vere comica commixtum sit, quod is, qui tam prudentem se putat, tam vehementer ipse fallitur. Syri igitur machinationes non esse nisi fabulae quasi ossa, quibus omnia sustineantur, apertissimum est, qua de causa fabula ipsa, ut nostro sermone utamur, Charakterstück iure appellatur, non Intrigenstück, ut Teuffelius quidem voluit.

Simul autem quantopere Venedigerus erraverit, apertissimum est factum. Qui cum Syri fallaciis abiectis nil retinuerit nisi fabulae corpus, ut ita dicam, tamen Menandro se satisfacere putat hisce l. s. p. 135: „Allein dies mußte hier sich anders gestalten, wenn der Dichter einen sich selbst quälenden Alten und die daraus entspringenden komischen Situationen in den Vordergrund stellen, wenn er, um es kurz zu sagen, einmal kein Intrigen-, sondern ein Charakterstück schreiben wollte. Ein solches aber haben wir bei Menander vorauszusetzen“. Actione enim, errore, turbis ne ea quidem fabula carere postest, quae, ut Hautontimorumenos Terentiana, ad personarum mores demonstrandos imprimis pertinet, neque ad tragoediam solam spectant Aristotelis verba haec: *Ἔτι ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία, ἄνευ δ᾽ ἠθῶν γένοιτ᾽ ἄν* (a. p. cap. 6) et (*τὴν σύστασιν τῶν πραγμάτων*) *ἐπειδὴ τοῦτο καὶ πρῶτον καὶ μέγιστον τῆς τραγῳδίας ἐστίν* (ibid. cap. 7).

Iam postquam Chremes poena affectus est (V, 1), nil exspectatur nisi ut Clitipho atque Syrus ipsi quoque puniantur, quippe qui nimis fere senem illuserint. Itaque nemo non concedet post hanc scaenam statim ultimam fabulae Terentianae posse exstare, qua haec comoedia ad patres instituendos pertinens apte finiatur. Sed nedum una scaena fabula absolvatur, omnibus inopinantibus nova servi fallacia instituitur, qua facta Chremes idem a filio postulat, quod statim postulare potest scil. ut meretrice abdicata uxorem ducat. Itaque iure quaerimus, cur Chremes quamvis magna ira affectus omnino simulet se filium exheredem fecisse, qua re sola fit, ut Syrus

novam illam machinationem struat. Constat autem patres comicos summa esse auctoritate in ipsos filios adultos, quippe qui non suis, sed ipsorum patrum sumptibus vitam degant[1]. Hanc auctoritatem prorsus esse comminutam Chremes cum modo summo cum dolore e vicini verbis cognoverit, iam, nedum filium uxorem ducere satis habeat, eam ipsam quavis ratione sibi restituendam esse censet. Neque non assequitur, cum subito is Chremes sit factus, quem Horatius in animo habuisse videtur, cum scripsit a. p. 93 sq.: „Interdum tamen et voces comoedia tollit | iratusque Chremes tumido delitigat ore", ut filium pristinae vivendi rationis vehementissime pudeat atque paeniteat, quamquam ipse ne simulatione illa filium nimis diu excruciet, ipsa illa servi fallacia apte impeditur, cum tunc ab uxore, quippe quae filium subditum se suspicari minime velit, oretur atque rogetur, ut exheredationis consilium quam celerrime remittat. Itaque hunc fabulae exitum ipsum quoque et ad Chremetis mores demonstrandos pertinere et optime declaratum esse satis apparet. Sed tamen negari vix potest eum nimis fere longum esse atque a proprio fabulae consilio alienum. Quam ob rem iam dixerit quispiam nunc apertissimum esse hanc comoediam imperito deberi poetae, cum perfectus nihilominus fabulam ita instituturus fuerit, ut cum patris auctoritati satisfaceret, tamen exitum fabulae usque ad sextam scaenam protahere non cogeretur. Sed poetas Graecos quasi in deliciis habere fabulae argumentum prope iam finitum longius producere monendum est, quod Spengelius (And.[2] Berol. 1888 p. XXIII) ita verbis rectissime expressit: „Im allgemeinen entspricht es dem Wesen der griechischen Dichtung, statt mit kräftigen, zusammenfassenden Accorden zu schließen, die dem Zuschauer gewissermaßen das Signal zum Aufbruch geben könnten, das Thema auch nach dem endgültigen Abschlusse noch in sanften Weisen verklingen zu lassen". Quod Apollodori Epidicazomeni exitu egregie confirmatur, cum para-

---

[1]) Cf. Heinze, Die gegenwärtigen Aufgaben der röm. Literaturgesch. in Annal. philol. nov. XIX. (1907) p. 169.

situs, postquam pecuniam a senibus accepit, tamen Nausistratae maritum Lemni alteram habuisse uxorem prodit, qua de re Haulerus (Phorm.[3] Lips. 1898 p. 72) iudicat hisce: „Recht wohl hätte nach v. 947 das Stück unter Lösung aller vorher gebotenen Verwicklungen einen raschen Abschluß finden können“. Itaque huic ipsi Hautontimorumeni exitui testimonium inesse videtur non contaminatae aut mutatae fabulae Graecae, sed mere a Terentio translatae.

Restat ut de fabulae titulo pauca adiciamus, quo ipso quoque viros doctos offendi supra indicavimus. Velut Venedigerus l. s. p. 135 dicit: „Fassen wir das Gesagte zusammen, so sehen wir, dass dem Stücke — auch der Name Hautontimorumenos nur zur Hälfte zukommt,“ Herrmanowskius l. s. p 28 haec affert: „(Nomen) a vero fabulae argumento alienum est“, Nencinius l. s. p 68 dicit: „Jnde emergit primarias in hac fabula partes habere Chremetem — contra fabulae Menedemus nomen indidit.“ Qui titulus sane primo obtutu mirus videtur. An ad utrumque senem est referendus, cum etiam Chremes ipse se poena afficiat? Sed ita et singulari numero et ea re, quod Chremes inscius se punit, offendimur. Nil igitur statuere licet nisi eum, qui titulo nominatur, non primarias fabulae partes tenere. Sed ut huius aetatis poetas id agere necesse non est, ut is, quem nos Titelheld appellamus, etiam is sit, qui Dramatischer Held dicitur[1], ita ne novae quidem comoediae poetas legem illam secutos esse apparet[2]). Immo Hautontimorumenos, id quod haud ita raro occurrit, ab ea persona nomen ducit, ad quam tota actio pertinet vel cuius gratia omnia suscipiuntur. Nam Menedemi maerore Chremes

[1]) Exempli gratia Schilleri Braut von Messina affero, qua in fabula Beatrice, quamquam ea est, cuius causa tota actio incipitur, primarias tamen partes non agit.

[2]) Velut nunc constat in Menandri Periceiromone Polemonis mores maxime demonstrari, Epitrepontes a servis fabula ineunte disceptantibus nomen ducere, quamquam reliqua fabula longe alio negotio contineatur. Quin etiam Heros fabula nomen non trahit nisi a Deo illo, qui fabulae argumentum enarrat.

commovetur, ut inscius totum errorem instituat, cum filium reducem retinendo misero vicino gratum facere putet. Simillime autem in Andria Menandrea res se habet, qua in fabula, cum nemo sane Glycerium primarias partes tenere dixerit, tamen omnia ad eam spectare nemo ignorat. Quodsi quis dicat longe aliter esse in fabulis eis, quarum titulis ut Hautontimorumeni morum quaedam proprietates indicentur, ne id quidem rerum veritati respondet. Menandri enim Colacem inspicias[1]), qua in fabula, quantum quidem ex frustulis papyro quadam nuper memoriae redditis cognosci potest, Colacem vel Parasitum, quamvis magnas egerit partes, tamen primarias non tenuisse apertissimum est[2]).

Itaque ne titulo quidem totam hanc fabulam Terenti nomine traditam uni unius poetae consilio tribuere prohibemur i. e. Menandri ipsius, quod argumento ipso non niso nisi cena illa Dionysiaca rectissime confirmatur, qua cena neglecta Syri consilium audacissimum petulantiaeque Bacchi feriis dignissimae plenum vel fabulam ipsam in binos dies distributam omnino intellegi non posse cognovimus. Talem autem comoediam ea mente esse scriptam, ut Dionysiis illis agrestibus ipsis ageretur verisimillimum est, cum praesertim novae comoediae poetae in deliciis habeant ita rem instituere, ut eodem die, quo fabula ipsa in scaena spectetur, argumenti turbae atque errores fiant[3]). Itaque Hautontimorumenon Menandream in

[1]) Kretschmar, l. s. p. 63 sqq.

[2]) Cf. Leo, Nachr. d. Goett. Ges. d. W. 1903 p. 673 sqq., qui quantum fieri potuit, huis fabulae argumentum restruxit.

[3]) Cf. Dziatzko in Mus. Rhen. LIV (1899) p. 504 an. 5 et Legrand l. s. p. 356, qui ipse quoque hanc fabulam Aexonae esse doctam sibi persuasit, quamquam quod praecipuum putat argumentum, comprobari non potest. Censet enim Menandrum verbis illis *ἐν τοῖς τρισίν γε* (cf. supra p. 2 an. 1) certos agros Halis sitos respexisse, quae quidem verba ne tunc temporis Athenienses ipsi quidem intellegere potuerint. Sed tales minutias quemquam poetarum antiquorum ad rerum naturam accommodasse, ut credam a me impetrare non possum. Itaque equidem Reitzensteinio assentiendum esse arbitror, qui haec verba proverbialiter esse dicta ducit.

pago Aexona ipso doctam esse dicimus, cuius pagi partem Halas vicum constat fuisse. Aexonae enim sicut in multis Atticae pagis Menandri temporibus theatrum fuisse ex titulis satis est notum [1]. Ac ne Clarki [2] quidem sententia, cum pagis illis fabulas non esse doctas censeat nisi eas, quae antea in scaena urbana sint visae, ne hanc quidem fabulam primum Aexonae esse doctam credamus, impedimur. Koertius enim [3] omnino fieri non posse rectissime demonstrat, etiamsi cum Apollodoro Menandro 105 tantum tribuimus fabulas, ut omnes 32 illis annis, quibus constat Menandrum fabulas docuisse, in urbe actae sint, qua ex re magnam partem fabularum ut aliorum illius aetatis poetarum ita Menandri aut omnino non actam aut in pagis esse doctam iure concludit.

Hautontimorumenos igitur Terentiana, ut paucis rem modo expositam complectamur, fabula mere est Graeca *ὅλη καὶ τελεία* (Aristot. a. p. cap. 7), quae et insolentissimae petulantiae est plena neque seria educandi quaestione caret.

Quo tempore fabula Menandrea docta sit.

Reliquum est, ut ea breviter absolvamus, quae e rebus modo expositis de huius fabulae arte scaenica Menandrea nimirum discamus, cum ii viri docti, qui nuperrime exemplaris Graeci tempori definiendo operam dederunt, ad ipsam fabulae Terentianae artem imperfectam, quam censent, recurrerunt. Velut Bethius [4], cum Hautontimorumenon a Menandro admodum adulescente conscriptam esse dicit, personarum mores satis tenuiter narratos, quos Teuffelius quidem arbitratus sit, affert.

---

[1]) Omnes titulorum locos, quibus theatrum et Aexonae et in aliis pagis fuisse commemoratur, collegit Mommsen, Feste der Stadt Athen p. 350 sq.

[2]) Menander, a study of the chronology of his life, Class. Philol. I (1906) p. 323.

[3]) Inschriftliches zur Gesch. d. att. Kom. in Mus. Rhen. LX (1905) p. 432.

[4]) Die Zeit d. Haut. u. d. Kolax Menanders in Herma vol. XXXVII (1902) p. 278 sq.

Putat autem regem illum, ad quem Clinia militatum abisse dicitur (117), Alexandrum Magnum esse ipsum, cum post annum 306 regis nomen adicere opus fuerit, quam ad rem optime quadret, quod patria incolumis appelletur (194). Itaque hanc comoediam anno 424 inchoatam anno 421 primam vel secundam fabularum Menandrearum doctam esse sibi persuasit. Quam sententiam Legrandius l. s. p. 354 sqq. sequitur, nisi quod hanc fabulam non solum anno 324 compositam, sed etiam doctam censet. Quin nunc etiam adulescentis artis imperfectae vestigia ex fabula Terentiana agnoscere sibi videtur, quam ad rem demonstrandam et eas offensiones, quas alii viri docti investigaverunt, et ab ipso inventas affert, quae quin ad unam omnes fallaces sint iam non est dubium. Nihilo secius tamen Clarkio prorsus persuasit, qui l. s. p. 323 haec facit verba: „Legrand's arguments relating to the inconsistencies of the play have weight." Quam ob rem cum Menandrum Magnis Dionysiis anni 324 primam fabulam docuisse se demonstrasse putet, hanc ipsam fabulam Hautontimorumenon fuisse haud veri dissimile arbitratur.

Ac primum quidem, ut ne uno quidem fabulae loco iuvenis imperiti artem apparere non dicamus, vel inde, quod res usitatissimae data opera in contrarium mutatae sunt, minime adulescentem cognoscas, sed eum, qui novas vias ingredi studet. Qua cum re tota fabulae structura artificiosissime sane excogitata apte congruit. Agnitionem enim poeta non in fabulae exitu, sed media in fabula posuit, qua fallaciae niterentur, non solverentur. Itaque quantum potest, id agere cogitur, ne fabula antea langueat, quod eum sane miris illis rebus a solemnibus alienis assequi cognovimus. Huc accedit, quod servus ille petulantissimus agnitione facta perficit, ut consilium in Menedemum struendum cum suo prorsus confundat, ut satis mirum in modum se verum dicendo utrumque senem decepturum esse gloriari possit.

Ex moribus autem personarum cum actione artissime coniunctis (p. 16 an. 3, p. 45 sqq.) atque ex actione personarum moribus scitissime et praeparata (p. 5 an. 2, p. 9 an. 3)

et effecta (p. 44) et declarata (p. 9 an. 1, p. 30 an. 1) totam artem Menandream cognoscas, non adulescentis, sed perfecti poetae.

Mores vero personarum ipsos minime tenuiter esse demonstratos, sed egregie cum natura humana congruere Siessius satis diligenter exposuit, cuius verba ea, quibus commentationis suae quasi summam profert, ipsa liceat afferre (l. s. p. 262): „Die Kunst des Dichters in der Charakterzeichnung offenbart sich im Hautontimorumenos vor allem durch die Gegenüberstellung so vieler gegensätzlicher Charaktere. Der Gegensatz der beiden Alten ist oft gerühmt; wir haben indes gesehen, dass er sich in den Charakteren der Söhne wiederholt, und dass gerade die Ähnlichkeit, die zwischen den Charakteren des Menedemus und Clinia einerseits, des Chremes und Clitipho andrerseits besteht, diesen Gestalten den Schein überraschender Lebenswahrheit gibt. Dem Gegensatz der beiden Jünglinge aber entspricht wieder derjenige der von ihnen geliebten Mädchen. Diese Gruppierung von Gegensätzen, ihre Verschlingung in eine einzige Handlung ist ausserordentlich kunstvoll zu nehmen. Aber auch Sostrata und Syrus, die kein Gegenbild im Stücke haben, sind keine trivialen Repräsentanten ihres Typus, sondern ebenfalls lebenswahr und fein gezeichnet."

Accedit quod expositione omnia indicantur, quae ad actionem futuram recte intellegendam necessaria sunt, neque prologo opus est, quo pars argumenti narrando explicetur. Prima autem scaena et sine ullo artificio in via est posita et vero diverbio continetur [1], quo nil solorum spectatorum causa profertur, cum senes ipsi secum collocuti nondum sint [2]. Neque aliter de secunda scaena iudicandum est, cum Chremes ne de illa ami-

---

[1]) Qua de exponendi ratione cf. Frantz, De com. Atticae prologis, Dissert. Argent. 1891 p. 15. Iam huius perfectae expositionis exemplum satis dignum, quod cum Hautontimorumeni comparetur, Epitrepontes praebent (cf. p. 44 an. 3).

[2]) Quantum intersit inter hanc expositionem et eam, qua exempli gratia senex servo eas res narrat, quae illi sane ignotae esse non possunt, nemo non videt, qua de re cf. Leo, Quaest. Plaut. p. 178.

citia quidem ad id tempus quicquam compererit. Ac ne tertia quidem et quarta scaena, quamquam in illa Clitipho solus secum loquitur, in hac Clinia, certo rerum progressu carent, cum priore adulescens actionis futurae condicionem exponere pergat, posteriore ad actionem ipsam traducamur, qua ineunte Cliniam in scaena versari opus est.

Utriusque autem scaenae soliloquium eodem modo loquentium affectu declaratur quo Syri novum consilium capientis, ut parvos illos monologos omittamus, quos et personae in scaenam intrantes, cum eos, qui ad argumenti nexum conservandum in scaena remanserunt, non videant (cf. 242 sqq.), et ii ipsi solent facere, qui soli relicti sunt (cf. 559 sqq.)[1].

Ac ne fabulae exitui quidem nimis sane longo atque a reliquo consilio satis alieno artis imperfectae testimonium inesse, immo eum ad patris auctoritatem restituendam pertinere cognovimus.

Qua cum re arte cohaeret, quod filios constat in nulla fabula palliata patribus audere aperte resistere[2], quam rem ipsam quoque poeta in hac fabula satis serio tractare videtur. Clitipho enim quamquam et meretricem patris domum inducere non audet nisi a Syro coactus et exheredatione comperta nil patri respondet nisi se cupere mori (971) et ne uxorem quidem ducere recusat, tamen quamlibet se ducere posse negat. Itaque hac in re poeta adulescentem suam voluntatem sequi patitur. Nonne igitur Menandro palmam damus, cum Philemo in Trinummi exitu (1183 sqq.) Lesbonicum quamvis virginem a patre propositam in matrimonium ducere paratum faciat?

Clinia autem in Asiam abit, cum a se impetrare non possit, ut aut amicam abdicet, aut patri irato resistat, quem „aetate putet et sapientia plus scire et providere quam se ipsum sibi (116)". Nonne hoc cum adulescentis vere amantis natura melius congruit quam quod Mercatore ineunte (46 sqq.)[3]

[1]) Cf. Cartault, Sur l'Eunuque de Térence, Paris 1895 p. 37.

[2]) Cf. Heinze ibid.

[3]) Leo, Quaest. Plaut. p. 148 an. 1 Menandrum hac in re a Philemone pendere censet.

Philemo Charinum patris opprobriis adductum amicam relinquentem facit?

Quodsi quaerimus sitne fabulae et actio una et unus actionis locus, actionis unitatem, quae sola, ut unaquaque in fabula observata sit, exspectamus, quamquam duplicis argumenti nectendi difficultates superandae erant, poeta sane servavit, ut de longo illo exitu non iam dicamus.

Locum autem totam per fabulam unum eundemque esse primo obtutu apparet. Neque vero multi sudoris fuisse est omittendum omnes fabulae personas imprimis Cliniam, Antiphilam, Bacchidem (cf. p. 42 sq.) probabilitate servata in eandem scaenam ducere.

Sed tempore eum satis libere uti inde cognoscitur, quod cenae Dionysiacae gratia totum argumentum in duos dies distribuit, quamquam quod attinet ad temporis unitatem, poetas Graecos neque tragicos neque comicos unquam certam legem esse secutos et Aeschyli Agamemnone ineunte et Captivis Plauti[1]) satis confirmatur. Permultae autem et veteris et novae comoediae fabulae ante solem orientem incipiuntur (Amph., Curc.), aliae dum lucescit (Merc., Rud.), aliae sub meridiem (Mil., cf. 72 eamus ad forum scil. ἀγορὰν πλήθουσαν), sed ad unam omnes eodem die absolvuntur, quo inceptae sunt.

Ac ne id quidem poetae inerti tribuendum esse Legrandio concedo, quod complures scaenae intus gerendae causa non aperte indicata sub spectatorum oculos subiciuntur (p. 18 an 1, p. 28 an. 2). Immo ubique poetam aut personarum animi affectu (p. 9 an. 1, p. 23 an. 2) aut expressis verbis egrediendi causam apte declarasse cognovimus.

Accedit quod rerum nexus nusquam interrumpitur neque scaena vacua relinquitur nisi actu aliquo absoluto.

Quodsi verae comoediae est hominis cuiusdam indolem ridiculam cupiditatemque ita derideri, ut ille, cum morum pravitate se ipse fallat, spectatores simili errore liberet, haec vera est comoedia.

---

[1]) Cf. Schoell, Captiv. edit. p. XVI an. 2.

Quibus ex rebus satis apparet toti fabulae nil inesse, quo adducamur, ut poetae adulescentulo eam tribuamus. Sed ne cogimur quidem cum Bethio, Legrandio, Clarkio credere esse regem illum Alexandrum ipsum. Wilhelmius[1]) enim titulis quibusdam Atticis nisus monet etiam Antigonum, Demetrium, alios nomine omisso simpliciter reges appellatos esse. Itaque Dietzio[2]) astipulamur, qui Cliniam ratus ad Antigonum abisse[3]) hanc fabulam anno 302 vel 301 doctam esse demonstrat, quos ad annos id ipsum quadret, quod patria incolumis dicatur. Tum autem temporis Menander viginti fere annos in comoediis scribendis erat versatus neque iam alienum videtur putare talem poetam Hautontimorumenon Terentianam composuisse.

---

[1]) Urkunden dramatischer Aufführungen in Athen p. 130 sq.

[2]) De Philemone comico, Diss. Gotting. 1901 p. 13 an. 2.

[3]) Wilamowitzium (Antig. p. 239) enim secutus post pugnam Ipsiacam adulescentem Atheniensem in Asia apud regem stipendia non iam meruisse statuit.

VITA.

Natus sum Oscarus Köhler in vico Weiszenborn prope urbem Fribergam sito a. d. IV. Kal. Mart. anni prox. saec. LXXXIII patre Ludovico, matre Helena e gente Nadler, quos ambos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Ludi litterarii Weiszenbornensis cursu peracto anno prox. saec. XCVII in quintum Gymnasii Realis, quod vocant, Fribergensis ordinem receptus sum. Sed duobus post annis in Gymnasium Albertinum Fribergense transmigravi, ubi egregios magistros, in primis Olbrichtium, qui nunc scholae reali Chemnitiensi praeest, optime de me meritos esse nunquam obliviscar. Quantum vero debeam rectori Preusz, qui semper studiis meis summa cum benignitate favit, numquam desinam reminisci. Vere anni h. s. IV maturitatis testimonium adeptus Lipsiam profectus sum in philologiae potissimum studia incubiturus. Docuerunt me viri illustrissimi de Bahder, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Cohen, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Hofmann, Immisch, Jungmann, Koester, Lipsius, Marx, Schulz, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth (†), Witkowski, Wundt. Proseminari philologi per tria semestria sodalis fui auspiciis Immischii, seminarii moderantibus Bethio, R. Heinzio, Lipsio, Marxio per idem spatium. Ad Germanicum seminarium benigne aditum mihi patefecit Sievers, ad proseminaria Germanica de Bahder, Koester, Sievers, ad seminarium paedagogicum Jungmann, ad proseminarium Graecum Martini. Praeterea me admiserunt ad exercitationes archaeologicas Schreiber et Studniczka, ad metricas Marx, ad Germanicas Holz, ad Francogallicas Cohen, ad eas, quas de inscriptionibus Latinis instituit, Hirt.

Quibus praeceptoribus omnibus maximas habeo gratias. Praecipue vero Ricardum Heinze, qui studiorum meorum fautorem benevolentissimum atque humanissimum se praestitit, pio semper gratoque animo colam.

Typis Reinholdi Berger Luckaensis.